

BASILLI MAGNI DE

XTI VINDA STV



DIORVM RAT QND



BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI 9593




BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVI 9594

No 259. Consig  
B









~~52~~

~~54~~

243



\* Ex. Sigism. Aug. Regis Polon.

A-B

4

 D. BASI-

LII MAGNI DE INSTI-  
TVENDA STVDIORVM RAs-  
tione ad nepotes suos oratio paræneti-  
ca Græce & Latine, ut cum anno-  
tationibus Iustini Goble-  
ri conferri possit.

243

Item Ioānis Pici Mirandulę de Homi-  
ne opusculum omnino diuinum.

Eiusdem de Christi regno, & uanitate  
huius mundi.

Loci Christianam uitā breuiter comple-  
ctentes.

M. ZALVSKI

Et commentaria in Psal. xv.

Præterea Rodolphus Agricola de for-  
mando studio, & Erasmi Roterodami,  
ac Philippi Melanchtonis studiorū rati-  
ones, atq; locorum cōmuniū index.

BASILEAE PER HENRI-  
CVM PETRVM. 1537

Caspar Lijpkerman

Exemplar Sigism. & Augusti Regis Polon.  
(in fine computatur)

18731



XVI. 0. 9593

5

# OPTIMAE

SPEI ADOLESCEN-  
TIBVS IOANNI ET PHILIP

po doctoris Ioannis Nideponta

ni filijs Iustinus Goble

rus S. D.



V L L O non tempo  
re extiterūt homines  
quidam docti ac pij,  
qui adolescentiam ad  
uirtutem, rectaq; stu

dia capessenda cum exemplo priua  
to, tum amplissimis consilijs & ratio  
nibus sunt inhortati; idcirco quod in  
telligerent uiri prudentissimi ingentē  
utilitatem ad omnem uitæ cultum ex  
literarū cognitione parari, multumq;

2 2 referre

## EPISTOLA

referre, quibus rationibus tenera & imbecillas ætas initio formetur: quum & studia in mores abeant, & talis ferè unusquisq; sit, qualem dederit educatio. Putat autem ad uirtutem comparandam, & ad liberalem puerorum institutionem, quã Aristoteles κεφάλαιον παιδείας uocat, in primis conducere Poëtarum & Rhetorum lectionem diuus Basilii, uir apud Græcos cū propter eximiam eruditionem & doctrinam, tum quoq; propter uitæ sanctimoniam iure Magnus appellatus. Quã obrem hunc sermonem ad nepotes suos, quorum studijs tunc optime consultū existimaret, si his artibus statim ab initio formarentur, composuit, longe dissentiens ab ijs, quos ignauia quadã ac potius malicia incitatos omnes meliores

6

EPISTOLA

meliores literas & humanitatis studia  
 damnare, & ab eorum lectione imperi-  
 ritam iuuentutē deterrere iuuat. Con-  
 tra quos cum omni tempore tales re-  
 periatur hunc librum uir sanctissimus  
 ceu ex professo scripsisse uideri potest,  
 & sua uoce uelut classico ad uirtutem  
 melioraꝫ studia amanda iuuentutem  
 inflammare uoluisse, uiam a crationē  
 qua conducant ad bene Christianæꝫ  
 uiuendum quasi commonstrans. Cui-  
 ius sane tanti uiri iudicio nos & consi-  
 lio acquiescere potius, quam istorum  
 socordia moueri æquum est, quum i-  
 psijs & eruditio magna, probatæque  
 sit, & sancta ab omnibus autoritas ha-  
 beatur. Vobis ergo modestissimi ado-  
 lescentes sermonem hunc insigne uiri-  
 tutis patrociniū & commendatio-

## EPISTOLA

nem præferentē iamq̄ antea à Leonardo Aretino uiro doctissimo latinitate donatum, quo esset ad ediscendum accōmodatior cum Græco textu coniunctum in hanc formam redigere, & Scholijs nostris uestri causa auctiorē facere libuit, quo his uelut illecebris, nostriq̄ erga uos amoris ac studij argumento cōmoniti, eam, quā uterq̄ de uobis spem & expectationem, uir clarissimus pater uester, & ego conceperimus, culpa uestra uanam fieri ac irritam ne sinatis, sed indies magis magisq̄ ad paternæ uirtutis & ingenij similitudinem augeatis & confirmetis.

Valete apud Treuiros men-

se Septembre, Anno

M D XXXVII.

De

4

DE BASILIO MA  
gno è Suida.

**Β**ασίλειος καισαρείας τῆς καππαδοκί-  
κῶν ἐπίσκοπος ἦτις πρώτου μάζακος  
ἐπισκόπου, ἑταῖρος γρηγορίου τοῦ ναζιανζῶν  
ἐπισκόπου, γέγονε δὲ γόνεων περιφανῶν,  
Βασιλείου τε, καὶ ἐμμελείας ὧν ἀνεθεμ ἡ συγ-  
γένεια, ἀνὴρ ἐλογυμώτατος ἐν πάσῃ παι-  
δείας εἰς ἀκροελλητικῶς. οὗτος ἔγραψε πλεῖ-  
στα ἐν οἷς θαυμάζεται τὰ εἰς τὴν ἑξαήμερον,  
καὶ κατὰ ἐννομίον δὲ ἑξαερέτους σινεταξε λό-  
γους, καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τεῦ-  
χος. κατὰ εἰς τὴν ἑξαήμερον ὁμιλίαν ἐννεα,  
ἕτερον τεῦχος ἀσκητικόν, περὶ παρθενίας ἄλ-  
λο, ἔπαινον εἰς τοὺς μὲν μάρτυρας, ἕτερον εἰς  
γόρδιον, ἄλλο εἰς Βαβυλῶν, ἕτερον εἰς ἰαλί-  
ταν, εἰς διαφόρους ψαλμοὺς ἠθικοὶ λόγοι,  
διαφοροί. Ἐπίσολαι ὧν οὐδὲν ἄμεινον πρὸς

BASILII

τε τὸν σοφιστὴν λιβάτιον, καὶ πρὸς τὸν φίλον  
 γεηγόριον, καὶ εἰς ἄλλους πλείους.

Hoc est, Basilius Cæsariæ, eius quæ  
 est in Cappadocia, Episcopus extitit,  
 quæ quidem antea Mazaca uocabat,  
 natus est parentibus illustribus Basilo  
 & Emmelia, quorum familia & anti-  
 qua & nobilis erat. Vir fuit eloquētissi-  
 mus & in omni disciplinarum genere  
 ad summum profectus. Scripsit plurim-  
 a, in quibus ad miraculum usq; pro-  
 batur. Commentaria in Hexameron,  
 & contra Eunomiū præcellentes com-  
 posuit libros, tum de spiritu sancto uo-  
 lumē, & in Hexameron Homilias no-  
 uem. Sed & aliud uolumen exercitato-  
 rium de uirginitate, pariter & lauda-  
 tionem quadraginta martyrum. Ad  
 hæc uolumen in Gordium, & in Barla-  
 am




V I T A.


am unum, rursus aliud in Iulittam. Ex-  
tant & uarij eius sermones morales in  
psalmos. Postremo condidit epistolas  
plurimas, & ad Libanium Rhetorem,  
& amicum Gregorium, & alios quos-  
dam, quibus nihil potest re-  
periri elegantius uti  
liusque.







110



DELE-

GENDIS VETERVM POE

tarum & Rhetorum libris Diui Ba

silij Magni sermo ad nepo

tes, cum scholijs Iu

stinij Gobleri.

PROLOGVS.



VLTA sunt filij, quæ hor-  
tantur me ad ea uobis con-  
sulenda, quæ optima esse  
duco, quæq; uobis, si illa se-  
quimini, profutura confi-  
do. Quippe & huiusmodi ætas, & mul-  
tarum rerum usus, atq; insuper quod o-  
mnia maxime docet in utramq; partem  
imitationes, satis esse expertum huma-  
narum rerum, me fecere peritum. Itaq;  
possum his, qui nuper uitam ingressi  
sunt, quasi uiam aliquam, qua tutissime  
proficiscatur, ostēdere. Accedit ad hoc,  
quod naturali quidē necessitudine me  
post parentes, nemo est uobis propin-

A quior

quior. Quamobrem ego quidem erga uos nec minus beneuolentię habeo, quam ipsi parētes: Vos autem puto (nisi forte me uestra fallit opinio, cum me intuemini, parentum desyderio haudquaquam moueri. Si igitur quę à me dicuntur, ea uos suscipere ac sequi parati estis, in secundo eritis ordine laudatorū apud Hesiodum. Sin minus, ego sane nihil molestum dicam, uos autem meministis carminum illorum, in quibus ille poēta, inquit: Optimum illum esse, qui per se ipsum, quę agenda sunt, conspiceretur, sequenti autem gradu, qui aliorum consilia sequeretur. Qui uero ad neutrum horum aptus esset, eum penitus esse inutilem. Nec uos ulla admiratio teneat, si quotidie ad Magistros euntibus uobis ueterumq; uirorum & ingenio & doctrina præstantium, per ea quę illi scripta reliquere, cōtinuum usum & familiaritatem habentibus, ego aliquid utilius ex me ipso inuenisse profiteor. Equidē hoc ipsum moniturus uenio, nō oportere uos eiusmodi uiris ita mentis

tis



his uestræ gubernacula pmittere, ut que  
cunq; dicant ea sequamini, sed id dunta  
xat, quod utilitatem adfert ab illis acci  
pientes scire etiam, si sit opus, cõtemne  
re. Quæ igitur ea sint, & quemadmo  
dum discernantur, id iam uobis aperi  
am, hinc sumens initium.

## V N I V S A E T E R N A E V I T A E

*bona querenda esse sectandaq;.*

*Caput primum.*

**N**os quidem o filij hanc hu  
manam uitam nihil omnino  
esse arbitramur, nec bonum  
quicquam existimandũ cen  
semus, neq; appellandum quod utilita  
tem nobis hucusq; suppeditet. Nõ itaq;  
dignitatem, non amplitudinem maio  
rum, non corporis uires, non formam,  
non magnitudinem, non à cunctis ho  
minibus habitos honores, non ipsum  
imperium, non quicquid dici potest in  
hac uita excellens: sed longius nostræ  
procedunt spes, & ad alterius uitæ præ  
parationem

parationem cuncta molimur. Quæ igitur ad hanc uitam conferunt, ea nos totis uiribus optanda, quærendaque esse arbitramur. Quæ uero illuc usque peruenire nequeunt, ut nullius momenti despicienda.

*De differentia utriusq; & terrena & æternæ uitæ. Caput II.*

**Q**uamnam tamen ista sit, & quo pacto illa uiuatur, id sane ostendere plus negotij esset, quam nos in præsentia susceperimus: Maiores etiam auditores, quam ipsi nunc estis, ad percipiendū requirit. Hoc cum solum dixero, satis abunde uobis dixisse putabo: Si quis omnem post creatos homines felicitatem mente cōcipiat, simulq; in unam congerat uniuersam, ne parua quidem partem illorum bonorum ad æquare comperiet. Sed ab illius uitæ bono omnia humana simul collecta magis abesse: quam umbram & somnium a ueris rebus: Imò uero ut propiori utar similitudine, quantū in omni re preciosior

fior est anima, quàm corpus, tanta utriusque uitæ differentia est.

*Vt ordine discantur disciplinae, primum humanae deinde sacrae. Caput III.*

**A**D hanc porrò uitam sacri ducunt sermones per occulta nos erudientes, donec tamē profundum illorum sensum per ætatem nobis percipere posse non licet, in alijs nō omnino diuersis, quasi in umbris quibusdā speculisque oculos mētis exercere debemus: eos imitantes, qui ad certamen se comparant, qui & saltu, & motu manuum in ludo exercitati, callidius deinceps incertamē descendunt. Et nobis profecto certamen quoddam incumbere putandum est, et quidē omnium certaminum maximum, cuius gratia cuncta tentanda sunt, & totis uiribus incumbendum ad huiusce rei præparationem, & poëtis & oratoribus, & scriptoribus cæteris, omnibus denique hominibus inharendum, unde nobis ad ingenij exercitatio nem aliqua sit accessura utilitas. Velut igitur hi qui tingunt, cum primo qui-

A 3 busdam

busdam modis, id, quod colorem recepturum sit, præparant, tandē postea florem superinducunt siue purpureum, siue quemuis alium. Eodem nos itidem modo, si, ut indelibilis sit apud nos probitatis sentētia, cupimus, cum his extraneis disciplinis fuerimus imbuti, tūc sacris & occultis operā dabimus, & quasi solem in aqua prius uidere assuefacti, ad ipsam lucem dirigemus intuitum.

*Sacra Prophanis disciplinis adiuuari exemp'o  
Mosi & Danielis confirmat.*

Caput IIII.

**S**I qua igitur conuenientia utriusque sit, perutilis erit nobis talis cognitio, si autē nulla sit, ea tamen ad inuicē conferre, & in quo differant, internoscere, non parum nobis fructus præbebit ad potioris uitæ confirmationem. Sed qua similitudine utemur ad hanc rem ostendēdam? Nempe ut plantæ propria uirtus est fructū producere, afferunt tamen aliquē ornatum & frondes ipsæ circa ramos diffusæ: ita profecto & animæ quidam præcipuus fructus

fructus est Veritas. Nō in amœnum ta-  
 men est hac extranea circumdari sapien-  
 tia, quæ tanquam frondes quædam &  
 fructui tegmen præbeat, & speciem in-  
 tuentibus latiore ostendat. Hoc fecis-  
 se aiunt Mosen illum summa prudentia  
 uirum, cuius apud omnes gentes maxi-  
 mum est in sapientia nomen, qui nō pri-  
 us ad Dei contemplationem accessit,  
 quàm in Aegyptiorum disciplinis men-  
 tem exercuisset. Hæc eadē ferunt de Da-  
 niele sapiente, cum apud Babylonios  
 Chaldaeorum sapientiam imbibisset, po-  
 stea rerū diuinarū attigisse doctrinam.

*De usu & imitatione Poëticæ lectionis.*

Caput V.

**S**Ed iam satis abunde demonstra-  
 tum est, non inutilem esse menti-  
 bus nostris hanc extraneam sci-  
 entiam. Nunc uero quo pacto illa no-  
 bis excipienda sit, dicendum uidetur.  
 Primo igitur ut à poëtis incipiam, cum  
 illi uarij, multiformesq; sint, non omni-  
 bus, quæ ab ipsis dicuntur, adhibēda est  
 mens, sed cum excellentium uirorum

A 4 dicta

dicta aut facta cōmemorant, tunc tota mente moueri atq; inflāmarī debemus, maximeq; conari, ut tales ipsi simus, quales illi fuere. Cum uero in improborum hominum mentionē incidunt, fugienda est illorum imitatio, auresq; claudendæ nō secus atq; ipsi ferūt Vlyssē ad Syrenū cantus. Præ enim confabulationes uix quædam sunt ad facinorosa. Quamobrem omni diligentia curandum est, ne inter illam, quam plerunq; sermones habent festiuitatem, latenter aliquid admittamus mali, ut hi qui uenena melle permixta absorbent. Nō igitur laudabimus poëtas, neq; cum iurgia referunt, neq; cū scurras, aut amantes, aut ebrios, aut dicaces imitant, neq; cum diuite mensa, cantuq; dissoluto felicitatem definiunt. Minime uero cum de Dijs aliquid dicunt, & maxime cum de illis ita narrant, quasi plures sint atq; discordes. Nā apud eos & frater in fratrem coniurat, & parentes filijs, & filij parentibus inferunt bella. Deorū uero adulteria atq; amores, & scelestas concubitus

cubitus, & eos maxime summi ac principis omnium (ut illi asserunt) Iouis, quæ ne de pecudibus quidem sine rubore quis diceret, his relinquemus, qui in scena uersantur. Hæc eadem dicenda sunt, & de cæteris scriptoribus, & tunc maxime cum ad uoluptatem loquuntur.

*Oratores quo pacto sint legendi.*

Caput VI.

**S**ed nec Oratorum artē in mentiendo imitabimur, neque enim in iudicio, neque usquā alibi mentiri nos decet, qui rectum ac uerum iter uitæ elegimus, quibus interdicta sunt mendacia legis præcepto. Sed tunc maximæ oratores amplectemur, cum aut uirtutē extollunt, aut uicia effulminant. Ut enim ex floribus ceteri quidem nihil sumunt præter colorē, apes uero & mella inde sciunt excipere: ita qui non solū uerborum festiuitatem sequuntur, fructum aliquem percipere possunt. Sed quoniam in apum mentionem incidimus, prosequamur hanc similitudinē. Illæ enim nec omnes pariter flores ad-

A s unt

unt, nec si quos adeunt, eos totos absumunt, sed eo solo ablato quod operi suo aptum sit, reliquū omne ualere sinunt. Et nos quoque si sapimus, cum id exceperimus, quod ueritati amicum consentaneūque sit, cetera omnia transgrediemur. Ac uelut in rosis legendis sentes uitamus, ita quantum utiliter scriptū est accipientes, reliqua quæ nocere possunt, declinabimus. Principio igitur disciplinarum quamlibet cōsiderare oportet, & ad finem dirigere, lapides ad filiū Dorico prouerbio redigentes.

*Poetas & rhetores ob uirtutem, quam prædicant esse euoluendos. Cap. VII.*

**Q**uoniam ad hanc nostrā uitam per uirtutem ascenditur, uirtus autem ipsa à poëtis, multum ab historicis, multo etiā magis à philosophis laudatur, eorum uerbis maxime est inhærendum. Neque enim parum utilitatis habet consuetudo quædam & familiaritas uirtutum mētibus iuuenum, animisque infusa, cum maxime inhærere soleant, quæ in tenera ætate discuntur, propter



propter animorum molliciem profunde iniusta. Et quid aliud Hesiodum uoluisse putandum est, cum illa scripsit carmina, quæ uniuersi decantant: Aspera, inquit, primo, & penè inuia, & sudoris continui, & laborum plena est uia, quæ ad uirtutem ducit. Quamobrem nec cuiusuis est propter arduitatem, illam capessere, nec capessenti facile ad cacumē euadere. Sed ubi id superaueris, ex eius uestigio uidere licet, ut uia illa leuis sit ac pulchra, ut quæ expedita & facilis, & longe iucundior, quàm altera, quæ ad uitia ducit: quam uniuersam simul arripisse, ipse idem poëta testatur. Mihi quidem uidetur nihil ob aliud, quàm ut nos ad uirtutem probitatemq; adhortaretur, ista dixisse, ne laboribus uicti ante finem desisteremus. Sed & si quis alius similiter uirtutē laudarit, eius sermones promptissimi recipiemus. Ego autem è quodam uiro, qui ad uestigandas poëtarum mentes acutissimus habetur, audiui, cū diceret, totam Homeri Poësin, laudem esse uirtutis, omniaq; illius  
 poëtae

poëta huc tendere (nisi quid interdum incidens sit) uerum in eo loco uel maxime id patere, cū finxit Cephaleniorum ducem naufragio eiectum tam spectabilem fuisse, ut illos, quibus & solus, & nudus apparuit, uerecūdia aliqua auerteret, quando quidem pro uestibus uirtute illum dixit honoratum, ut primum regina reuerita sit eum, deinde reliqua Pheacum multitudo tanti putauit, ut relictis epulis, quibus comestabantur, unū illi cuncti intuerentur, nullumq; eorum esset, qui eo tempore magis quicquam à Dijs optaret, quàm Vlyssē fieri, quàm & nudum & naufragum. Solebat ille poëtarum interpretes hoc in loco clara uoce clamare, ô homines, sit nobis cura uirtutis, quæ & cū naufrago simul enatat, & in littore nudum eiectum fortunatis Phæacibus uenerabiliorem ostendit. Et profecto ita res est, cætera omnia non magis possidentium sunt, quàm cuiusque, ut in talarī ludo huc illuscq; trāseuntia. Sola uirtus & uiuēti et mortuo stabilis est & firma possessio.

Qua

Qua ratiōe motus mihi uidetur Solon, cum, inquit, ad diuites, At nos non permutabimus cum uirtute diuitias, quoniam uirtus firma est, diuitias uero aliās alius possidet. Similia his sunt & à Theognide dicta, qui, inquit, Deum, quem cunq; tandem is senserit, uarie hominibus talentum appēdere, alio enim tempore diuitias affluere, alio nihil possidere. Hæc eadem à Prodicō Sophista quodam in loco suorum librorum de uirtute ac uitijſ sapientissime scripta sunt, cui quidem præstādæ sunt aures, neq; enim spernēdus est ille uir. Is uero ita, inquit, quantum ego memini, nam eius uerba nō teneo, nisi quod sine carmine sic ait: Herculem, cum is adolescens esset, uestræ fermè ætatis, diu secū multumq; dubitasse, utram uiam caperet, cū duas uideret, unam uoluptatis, alterā uirtutis, inter ambigendū autem duas accessisse matronas, has uero esse & uirtutem & malitiam, statim quidē & si illæ silerent, manifestam fuisse diuersitatem illarum. **Videri enim alteram accuratissime ornatam**



natam, fluentem delitijs, & omnium trō  
 luptatum examen post se trahentem.  
 Hæc itaq; omnia ostētantem, & multo  
 etiam plura pollicentem, secum trahere  
 Hercule tentauisse. Alteram uero aspe-  
 ram & duram, seuerēq; intuentem talia  
 econtra dixisse, polliceri se nec uolupta-  
 tem aliquam, nec quietem, sed labores,  
 pericula, sudoresq; infinitos terra ma-  
 riq; tollerandos: Premiū autem illorum  
 fore (ut ille aiebat) Deum fieri, & hanc  
 demum Hercule secutum fuisse.

*Philosophos item uirtutem extulisse, eosq;  
 propterea legendos esse.*

Caput VIII.

**T**ferè omnes, qui modo aliqd  
 in philosophia scripsere, ut quis-  
 quis maxime potuit, uirtutē lau-  
 darunt, quibus sane credendum est, co-  
 nandumq; ut in uita nostra id ostenda-  
 mus. Nam quisquis ea, quæ alij uerbis  
 duntaxat philosophantur, rebus ipsis  
 affirmat, is uere sapit, ceteri uelut umbre  
 uolitāt. Nec secus ea res se habet, quàm  
 si pictor egregiam uiri formā imitatus  
 sit

fit, hic autem reuera talis existat, qualem ille in tabulis expresserit. Qui enim uirtutem in coetu hominum laudant, amplissimisq; uerbis attollunt. ipsi uero & libidinem temperantia, & quæstum iustitia anteponunt, hi mea sententia nihil differunt ab histrionibus, qui cum poemata in scæna agunt, sæpe ut reges, uel ut potentes prodeunt, cū neq; reges sint neq; potentes, neq; omnino forsitan liberi. Atqui Musicus quidem, si id ullo modo uitare potest, nunquā patitur Lyram sibi dissonari, neq; chori princeps, inconcinnum sibi chorum habere. Ipse uero, quispiam secū dissidebit, neq; uitam cōsentaneam uerbis præstabit, sed Euripide autore, linguam quidē iurasse dicet, mētem uero iniuratam mansisse,

& bonum uideri quam esse magis cupiet. Athic est ultimus in-

iurix terminus, si quid

credere oportet Pla-

toni, bonum ui-

deri cum

nō sis.

**Lectiōnem**

*Lectiōem Poëtarum & Historicorum ma-  
gnam adferre utilitatem propter  
exempla. Caput IX.*

**L**A igitur quæ de uirtute scripta sunt, ita, ut dictum est, accipienda censeo, cum facta maiorum, aut memorię successione, aut poëtarum uel historicorum libris usq; ad nostram ætatem conseruata sunt. Nec huius quidem generis utilitatem negligimus. Ut ecce Pericles Atheniensis, cū eum quidam ex fori hominibus probris laceſſeret, nihilo est iratus, neq; animo cōmōtus, sed per uniuersum diem perseueratum est, cum ille nullo maledicto abstineret, hic uero tanquam ea res nihil ad se pertineret, contemneret, Vespere autem iam facto & tenebris exortis cū iurgator ille uix eo tēpore abire uellet, Pericles famulo cum lumine accito profecutus est ipsum, ut sibi quam lōga esset ad philosophiam exercitatio. Item cum quidā iratus Euclidī Megarensi necem minaretur, idq; se facturum iuramento adfirmaret, Euclides contra iurauit, se profecto

profecto illum placaturū, effecturumq̄  
ne sibi infensus foret, quod opere preci-  
um est aliquod huiuscemodi exēplum  
succurrere mentibus hominum iam ira  
effervescentiū. Tragoediæ enim nequa-  
quam est credendū dicenti, inimicas ar-  
mabit ira manus: sed potissimū esset nul-  
lo modo irasci. Sin id fieri non potest at-  
tractionis freno moderandū est, nec per-  
mittendum longius efferi. Sed reduca-  
mus orationem nostram ad clarorū ui-  
rorum exempla. Pulsauit quispiam So-  
cratem Sophronisci filium, faciem eius  
petulātissime cedens, Socrates uero nō  
repugnauit, sed illius iræ ac petulanciæ  
se permisit, donec uultus ei undiq̄ tuber  
fieret. Verū ubi ira illius faciata est, So-  
crates quidē nihil aliud egit, quā quod  
fronti suæ inscripsit, percussoris nomē,  
quemadmodum statuīs fieri solet. Ille  
(inquit) hoc opus effecit, nec ulterius ul-  
cisci perrexit. Hæc quæ nostris similia  
sunt, perdigna esse imitatiōe duco. Hoc  
enim Socraticum illi nostro conuenit,  
quod monet, ut percutienti maxillam  
B unam

unam, alteram quoque porrigamus, tantum abest, ut ulciscamur. Id autem Periclis, aut Euclidis simile est illi, quo nemur persequentes expectare, benigne iras illorum tolerare, & inimicis bona precari, non autem maledicere. Nam qui in illis erit præeruditus, is postea præceptis nostris acquiescet, nec quasi impossibilia sint, aspernabitur. Haud sane prætereundum est Alexandri regis memorabile factum, qui cum Darij filias in captiuis haberet, mirum in modum, ut ab omnibus prædicabatur, formosas, ne uideri quidem uoluit, Turpe esse ratus eos, qui uiros uicissent, à mulieribus superari. Hoc illi nostro conuenit, quod aspiciens mulierem ad uoluptatem, etsi rem non consumet, tamen, quia ad id concupiuit in corde suo, crimine non caret. Illud autem Clinia Pythagoræ familiaris, difficile est credere, non dedita opera, sed fortuito nostris conuenire, qui cum posset trium talentorum damnum iureiurando sibi delato effugere, soluere quidem maluit, quam iurare, quanquam sine per-  
iurio



iuso id, facere liceret. Audierat ille (ut mihi uidetur) præceptum Domini iuramenta uetantis.

*Delectus doctrinarum habendus, nostraq; studia ad certum aliquem finem dirigenda. Caput X.*

**S**ed redeo ad id quod in principio dicebam: non omnia nobis percipienda sunt, sed tamen utilia. Etenim cum eos cibos, qui obesse possunt corpori, diligenter uitemus, absurdum est disciplinarum, quibus animus alitur, rationē nullam habere, sed tanquam torrens aliquis, quæcūq; fors obtulerit sine delectu immergere: & cū gubernator non temere nauim uentis permittat, sed ad portum dirigat, & sagittarius ad signum, & faber, & architectus finem aliquem suę artis respiciat: nos ab eiusmodi opificibus in cognoscendis rebus nostris superari. Neq; enim manualium operū finis aliquis est, uitæ autem humanæ finis est ullus, quem inuicentur hi, qui bene uiuere quærunt. Quod si nulla ratione huc atq; illuc in

uita iactemur, quid inter nos atq; rates  
gubernaculis carētes interesset. Verum  
ut in Musicis Gymnicisq; certaminibus  
eorundem sunt exercitatiōes, quorum  
& præmia, nec ullus cum se palæstra aut  
pancratio exercuisset, lyra deinde aut  
tibia certat, neque enim Polydamas  
id agebat, nec Milo, sed alter ante O-  
lympicum certamen currus sistebat cur-  
rentes, Milo uero in Clypeo uncto sta-  
bat, nec depelli ab eo ulla uī poterat, sed  
resistebat non secus ac statua quædam  
plumbo affixa. Quod si Marsiæ aut O-  
lympi Musicam essent meditati, relicto  
puluere atq; Gymnasio, sero coronas,  
aut gloriam assecuti essent, aut effugis-  
sent, ne corpora sua derisui haberentur.  
Sed nec Timotheus relicta musica sua  
in luctaminibus uersabatur, neq; enim  
assecutus fuisset, ut cunctis musicis lon-  
ge antecelleret, cui tantū superat artis,  
ut quoties libuisset animos hominū &  
uehementi harmonia accenderet, ac rur-  
sus molli ac placida deliniret, Quippe  
cum aliquando in Alexandri cōuiuio,  
cum

eum cantum, quem Phrygiū appellant, modularetur, usq; adeo regem excitasse dicitur, ut ad arma capienda profiliret, atq; iterū ad cōmessationes epulasq; re-  
duxisse modulatione mutata, tantas ui-  
res habes in Musicis Gymnicisq; certa-  
minibus ad finē suū directā exercitatio.

*Laboribus parari omnia, uitamq;  
beatam. Cap. XI.*

**S** Ed quoniam in coronarū atq; pugilū exempla incidimus, prosequamur aliquātisper in ea re. Porro illi quadam incredibili laborum tolerantia uires adepti, quin infinitis sudoribus in Gymnasio manarint, innumerasq; plagas in exercitatioe tulerint, uictum autem non uoluptuarium neq; iucundum, sed quē Magister ludi præscripserit, uictitarint. Et in cæteris omnibus, ne orationem protraham, ita instituti, ut uita ante certamen acta, meditatio fuerit certaminis; Tandem se nudanti in stadio & summo labore ac periculo decertant, ut oleastri, aut apij, aut eiusmodi corona donentur, uictoresq; à præ-

cone buccinent̄. Nos uero quibus præmia uitæ adeo mirabilia proposita sunt, ut nec magnitudo eorū dici possit, nec multitudo numerari, in utranq; autem securi dormientes, altera manu capessere posse credemus. Permultæ sane esset inertix, & Sardanapalus ille primas omnium partes in beatitudine ferret, uel margites forte, quem neq; aratorē neq; fossorem, neq; cuiusquam rei actorem fuisse, Homerus ait. Si utiquam Hero credendum est potius quàm Pittaco, qui, inquit, arduum esse bonum existere: Multis enim laboribus susceptis, uix eorum honorum compotem fieri contingit, quorū nihil in hac uita esse simile paulo ante dicebamus. Non igitur delidendum est nobis, nec pro breui uoluptate maximæ spes abiiciendæ, nisi uelimus cōuicia pati, & pœnas subire, non hic apud homines (quanquam ne hoc quidem paruum recte sentienti) sed aut sub terra aut ubicunq; sint illa iudicia. Nam qui non ex uoluntate delinquit, is forte aliqua dignabitur uenia, qui autem ex

tem ex proposito peiora eligit, nullam  
habet excusationē, quin multiplici pœ-  
na adficiatur.

*Quæ corporis cura, & quis cultus esse  
debeat. Caput XII.*

**Q**uid igitur faciendum est, dicet  
quispiã? quod aliud, quàm cu-  
ram animæ habendum cæteris  
omnibus pro nihilo habitis. Non ergo  
corpori seruiendum nisi quantum sum-  
ma coget necessitas, sed anima bonis ar-  
tibus imbuenda, & ex corporum uincu-  
lis, ac passionum societate per philoso-  
phiam eximēda. Illud præterea efficien-  
dum est, ut corpus laborum patientissi-  
mum sit, uentri autem non ad uolupta-  
tem, sed ad sustentationē porrigendum.  
Nam qui semper cœnas atque coquos  
mente agitant, epularumq; gratia terras  
mariaq; perscrutantur, miserabili admo-  
dum seruitute premuntur, & grauissimo  
domino tributa pendunt, nihil leuius pa-  
cientes, quam hi qui apud inferos pœ-  
nas dant, uirga ignem diuidentes & cre-  
bro aquam referentes, & perfossam uas  
implere

implere anhelantes, nullum finem laborum habentes. Tonderi autem, aut amici ultra quam necessitas sit, aut miserorum est, secundū Diogenem, aut iniuriorum. Itaque occupatum esse in corporis ornatu non minus turpe dicendum arbitror, quam aut pellicē esse aut adulterum. Quid enim refert homini gnauo restide, an uili aliqua ueste, dummodo corpus ab intēperie tutetur? Quod & in cæteris obseruandum est, ne quid superuacuo moliamur, nec plus corpori tribuamus, quam animę commodum sit. Neque enim minus turpe est uiro, qui uere hoc cognomine dignus existat, niēciam corporis curam habere, quam ad aliam quamuis passionē effoeminatum esse. Omne porrò studiū ponere, ut corpori quam optime sit, hominis est se ipsum ignorantis, nec intelligentis sapiens illud, quod nō id, quod cernitur est homo, sed opus est maiori sapientia, ut quisque nostrum quid tantumdem ipse sit, possit agnoscere.

Cauendum

*Cauendum esse & abstinendum ab illecebris  
uoluptatum. Caput XIII*



Erum enim uero id assequi non  
expiata prius mente impossibili  
us est, quàm lippis oculis solem  
perspicere. Expiatio autem animæ fit, ut  
& breuiter simul, & abunde uobis dicā,  
per contemptū earum, quas uobis sen-  
sus porrigunt, uoluptatum. Non igitur  
oculi pascendi sunt absurdis spectaculo-  
rum miraculis, non aspectu corporum  
uoluptatis stimulos relinquentium, nō  
per aures sonus infundendus, qui ani-  
mam corrūpere possit. Nam & nequi-  
tia & ignauia ex huiusmodi musica gie-  
gni solet. Sed ea musica recipienda est,  
qua usus Dauid poëta sacrorum carmi-  
num, Regem (ut ferunt) ab insania libe-  
rauit. Pythagoras etiam cum iuuenibus  
quibusdam uino fertis saltuq; per ciuita-  
tem lasciuientibus obuiaret, dixisse dici-  
tur ei, qui modos tibia faciebat, ut mu-  
tata harmonia Doricum personaret,  
quod ubi factum est, Bacchantes illos  
adeo resipuisse ferunt, ut ferta abijcerēt,

& rubore uultus uerecundiam confessi  
domum abirent. Tantum interest cor-  
rupta an salubri musica impleare. Quā-  
obrem ab hac quidem musica, quæ nūc  
in usu est, non secus abhorrendum uo-  
bis censeo, quàm à quauis fœditate. Iam  
uero eos uapores, qui odorē delectent  
aëri misceri, aut unguentis perungi eti-  
am interdicare uobis erubesco. Quid di-  
cendum de his uoluptatibus, quæ gestu  
aut tactu fiunt? an dubitandum quin il-  
læ quoque eiusmodi sint, ut nisi quis caue-  
at uentri ac semini seruire nos ueluti pe-  
cora compellant,

*Corpus rationi subijciendum Cap. XIII.*

**D**enicquē ut summatim dicam, uni-  
uersum corpus despiciendum  
est, nisi in luto uoluptatum ueli-  
mus submergi, aut certe tantum indul-  
gendum, ut philosophiæ, ut inquit Pla-  
to, ministerium præstare possit. Eadem  
fermè Platonis & Paulus monet, dū ait,  
non oportere nos prouidentiam aliquam  
corporis habere ad uoluptates. Nam hi,  
qui corpus optime curant, animam uero,  
quæ



quæ eius seruitio uti debet, negligunt, nihil ab his differunt, qui ut organa quæ optima habeant, summo studio cõquirunt, artem uero, cuius gratia illa organa sunt comparata, despiciunt. Prorsus igitur contra seruandum est. Nam castigare corpus, & compescere eius impetum ut immanem, quandã beluam oportet, & eiusdem aduersus animam temerarios motus, rationis habena ac freno cohibere atq; sedare, non autẽ frena uoluptatũ remittere, & animæ curam abijcere, & instar aurigæ uiolẽtia equorum tracti deferri, sed Pythagorę meminisse, qui cum intelligeret quendam ex familiaribus suis cibi exercitatiõibus ut pinguis fieret, curare: Hic (inquit) non cessat molestiorem sibi carcerem instruere. Quod genus molestiæ cũ suspicaretur Plato corpori suo impendere, Academiam in salubrem Atticæ locum ferunt ex industria delegisse, ut plusquã bona habitudo corporis, ceu uitis nimia luxuries, ob eam rem amputaretur. Ipse quoque iam audiui ex medicis summã corporis

poris ualetudinem periculosam esse.  
 Cum igitur hæc nimia indulgentia, &  
 ipsi corpori inutilis sit, & animæ impedi-  
 mentum adferat, in ea re studium pone-  
 re, manifestissima est insania.

*Diuitias non esse concupiscendas.*

*Caput XV.*

**Q**uod si corpus cōtemneremus,  
 quid opus esset diuitijs, si uolu-  
 ptates corporis aspernaremur?  
 Equidem non uideo, nisi forte quem in-  
 uaret, ut in fabulis de draconibus fer-  
 tur reconditos thesauros uigilando cu-  
 stodire. Qui autem ad hæc contemnen-  
 da ingenue eruditus esset, plurimum  
 ab omni facinore & uerbo & opere ab-  
 horreret, & quicquid ultra sufficiētiam  
 foret, siue id Lydia gleba esset, siue for-  
 micarum antiferarū opus, tanto magis  
 despiceret, quāto minus indigeret. Suf-  
 ficientia autem non ipsa libidine uolu-  
 ptatum, sed naturæ necessitate definen-  
 da est. Nam qui excedunt necessitatis  
 terminos, similes sunt his, qui præcipi-  
 tes deferuntur, nihil stabulo inuenientes,  
 ubi

ubi possint consistere, nullū terminum  
præcipitationis habētes: sed quāto plu-  
ra amplectuntur, tantidem aut etiā plu-  
ris indigent ad uoluptates implendas.  
Diuitiarum enim (ut ait Solon) nullus  
est terminus. Verum ad eam rem The-  
ognide magistro utendū est, qui ita, in-  
quit, nec diuitias cupio, nec uoto pre-  
cor, sed mihi contingat ex paruo uitam  
agere omni carentem molestia. Porro  
non sine beneuolentiā quadam mihi in-  
mentem uenit dictum Diogenis huma-  
na omnia simul contemnentis, qui ma-  
gno rege ditiozem se prædicabat, quia  
ipse uidelicet paucorū indigeret. At no-  
bis nisi Pythiæ Mysij adsint talēta, & in-  
finita soli iugera, & numerosa armento-  
rum examina, nihil sat erit. Oportet au-  
tem, ut ego quidem arbitror, nec absen-  
tes diuitias optare, nec præsentibus glo-  
riari, nisi quantum scias uti. Sapienter  
enim Socrates qui cū uideret hominem  
diuitijs affluentē, eaq; de causa fastidio  
quodam gloriabundum uadere, nō pri-  
us, inquit, te admirabor, quam notum  
mihī

mihī fuerit, quo pacto scias uti fortunis tuis. An uero Phidias Polycletusq; si autem aut ebore gloriati essent, ex quibus alter Iliensibus Iouem effinxit, ridiculū haberetur, aliena bona sibi gloriæ fore putantes, propriam uero artem, qua illud aurum preciosius factū est, silentio pretereunt. Nos autem humanam uirtutem non satis decoris ipsam per se habere arbitantes minori reprehensione dignos esse putabimus.

*Monet adulationem & ostentationem esse fugiendam. Caput XVI.*

**A**T diuitias quidē contemnimus & uoluptates despiciemus, uerum blanditias & adulationes sectabimur, & Archilochæ uulpis calliditate multiplicitateq; gaudebimus. At nihil est quod æque fugere debeat sapiens, quam ad ostentationem uiuere, & populares aures sequi. Oportet autem uerum rationē usq; adeo ducem uiuendi habere, ut etiam si omnes homines reclamant, nihil mutetur eorū, quæ recte instituerat, etiam si infamiam uel periculum

culum subire pro recte factis necesse sit. Nam qui aliter institutus est, is nihil differre uidetur ab Aegyptio sophista, qui & arbor fiebat & aqua, & fera, & quicquid liberet. Siquidem ipse quomodo laudabit iustitiam, si id placere audientibus intelliget, modo eam uituperabit, si nō apud quos loquitur iniurias esse gratas cognoscet, & quod proprium assentatorum est, ut Polypus ad speciem subiecti soli colorē mutat, ita & ipse ad uoluptatem audientium sententiam mutabit.

*Vndiq; colligendum, quod ad felicitatem consequendam faciat. Caput XVII.*

**S**ed hæc in nostris libris addiscemus perfectius, in præsentia uero umbram aliquam uirtutis descripsimus ex his extraneis doctrinis. Qui enim libenter è quauis recogunt utilitatem, & si minutatim id agant tamen ut magna flumina, multa ex multis locis accipiūt incrementa. Nam id quod, inquit, poëta, si paruum paruo addas, idq; frequenter facias, nō ad pecuniæ dūtaxat augmentum

tum recte dictum fuisse putandum est, sed ad cuiusvis scientiæ. Bias quidē igitur unus ē septem sapientibus filio suo ad Aegyptios proficiscenti, rogātiq; patrem, quidnam agēdo maxime sibi gratum faceret, si uiaticum (inquit) ad senectutem cōpares. Virtutem nimirum pro uiatico intelligens. Sed arctioribus terminis illam circūscribens, utpote qui eius utilitatem humanæ uitæ spacio definiuit. Ego autem siue quis Tithoni senectutē, siue uiuacissimi apud nostros Mathusale, qui mille annos minus triginta dicitur uixisse, si denique uniuersum tempus, ex quo fuerunt homines, metiatur, ridebo puerilem eius sententiam, contemplanz longum & in senescibile seculum, quod quidem tale est, ut quemadmodum immortalis animæ, ita etiam illius seculi nullum finem mens possit concipere. Ad quod ut uiaticum paremus, omnis lapis (ut dicunt) mouendus est, unde aliqua utilitas ad eam rem sit nobis futura.

A studio

**N**on igitur quia ardua sunt hec, & laboriosa, idcirco torpescamus, sed memores illius sententiæ, oportere uidelicet unumquemque uitam probatissimam eligere, expectare autem ut consuetudo faciat illam iucundam atque dulcem uideri, ea sequi aggrediamur. Turpe est enim cum tempus per socordiam abierit, tunc demum illud reuocare, cum præter dolorē nihil sit amplius uocandi rediturum. Ego igitur quæ optima esse rebar, partim nunc uos admonui, partim omni uitæ tempore admonebo. Vos autem cum tria sint morborum genera, utinam ne uos ei similes præstetis, quod insanabile est: neue ita mente ægrotetis, ut plerique solent corpore ægrotare. Nam hi qui praua ualetudine anguntur, ipsi proficiscuntur ad medicos: qui uero grauiori morbo premuntur, ad se curantes accersunt. At hi qui in atrabilem insanabiliter transfecti sunt, nec uenientes quidem medicos recipiunt, quod uos non patiamini, recta consilia aspernantes.

34 ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ  
ΟΜΙΛΙΑ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ νέους, ὅπως  
αὐτῷ δὲ ἑλλησικῶν ὠφελούτων λόγων.

**Π**ΟΛὰ μετὰ πῶσα καλοῦντά ὅτι ξυμβολῶ-  
σαι ὑμῖν ὡ παῖδες ἅ Βέλιστα εἶν κείνω,  
ὡ ἅ ξυνοίσειν ὑμῖν ἑλομνίοις πεπίσδουκα. τό,  
τε γὰρ ἡλικίας ὅτως ἔχην, καὶ τὸ διὰ πολλῶν  
ἡσδη γεγυμνάσθι πραγματῶν, ὅ μὲν ἡ τὸ φη  
πάντα παιδιδούσης ἐπ' ἄμφω μεταβολῆς ἰκα  
νῶς μεταχθῆν, ἔμπειρόν με εἶν τῶν ἀνθρωπίνων  
πεποίηκην, ὡς τε τοῖς ἀρετῆ καθισταμνίοις τ' βίον,  
ἔχην ὡσπερ ὁδὸν τῆν ἀσφαλεσάτῃ ἰσοδιδκῆ  
ναί, τῆ τε πῶσα τ' φύσεως οἰκειότητι, θυθὺς με-  
τὰ αὐτῶν γονέας ὑμῖν τυγχάνω, ὡς τε μήτε αὐτῶν  
ἔλατῶν τι πατέρων θυνοίας νέμην ὑμῖν. ὑμᾶς  
δὲ νομίζω εἰ μήτι ὑμῶν δῆμαρτανῶ φη γνώ-  
μης, μὲν ποθεῖν αὐτῶν τεκόντας πῶς ἐμὲ βλέπον-  
τας. εἰ μὲν ἔν προθύμως δέχοιδα τὰ λεγόμε-  
να, τ' δούτορας τῶν ἐπαινεμνίων ἔσεδα παρ  
ἡσιόδω τάξεως. εἰ δὲ μὴ, ἐγὼ μὲν ὅ δὲρ αὐ εἶποι  
μι διυχερῆς. αὐτοὶ δὲ μέμνηδα τῶν ἐπῶν διηλο-  
νόπι, γν οἷς ἐκείνος φησί. ἀεισομ μὲν εἶν τῶν παρ  
ἑαυτῶ τὰ δέοντα ξυνορῶντα. ἐδὸλόν δὲ κα κεί-  
νον, τὸν τοῖς παρ' ἐτόρων ἰσοδιδχθείσιμ ἐπόμε-  
νον. τῶν ἢ πῶς ὅδ' ἐτόρ) ὡπτηθῆσθον, ἀχθῶν εἶν  
πῶς



πρὸς ἅπαντα, μὴ θαυμάζετε ἢ εἰ κὴ καθ' ἐκαστὸν  
 ἡμῶν εἰς διδασκάλους φοιτᾶσι, ὧς ἐλογί-  
 μοις τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν δι' ὧν καταλελοίπα-  
 σι λόγων συγγινομῆνοις ὑμῖν, αὐτὸς ἔπαρ-  
 μαυτὸ λυσιτελέσετον ἐξουρηκῆναι φημί. ὡς  
 ἢ ἔν αὐτῷ κὴ ξυμβελάβωσιν ἡκω, τὸ μὴ δέμ εἰς  
 ἀπαξ τοῖς ἀνδράσι τούτοις ὡσπερ πλοῖα τὰ πη-  
 δάλια ἐλ διανοίας ὑμῶν πῶσθύντας, ἢ ὑπὸρ αὐ-  
 ἄγωσι ταύτη ξυπέπειδ, ἀλλ' ὅσον ἐξὶ χησίμορ  
 αὐτῶν δεχομῆναι, εἰδέναι τὴν χηρὴν ὧς πῶσθιν.  
 ἔν ὅσιν ταῦτα, ὧς ὅπως διακρινῶμεν, ὡς δὴ κὴ  
 διδάξω γίνθην ἐλῶν. Κεφάλαιον α.

**Η**ΜΕΙΣ ὡ παῖδες, ὧ δὲμ εἰν χηρῆμα παντά-  
 πασι τῶν ἀνθρώπων βίον ὡσπερ ἔπολαμ-  
 βανόμεν, ὧτ' ἀγαθὸν τι νομίζομεν ὅλων, ὧτ' ὄνο-  
 μάζομεν, ὧτ' ἔσιωτέλθην ἡμῖν ἀχι τῶσθιν πῶσθιν  
 τῶσθιν προγόνων πῶσθιν ἀφάνθην, ὧτ' ἐκὶ σῶμα-  
 τῶσθιν, ὧτ' κάλλος, ὧτ' μέγεθος, ὧτ' τὰς πῶσθιν ἀπάντων ἀν-  
 θρώπων ἡμῶσθιν, ὧτ' βασιλείαν αὐτῶσθιν, ὧτ' ὅτι αὐ-  
 ἔποιτῶσθιν τῶν ἀνθρώπων μέγα, ἀλλ' ὧτ' ὅσθιν ἀξί-  
 ορ κρῖνομεν, ἢ ὡσθιν ἐχόνθιν ἀφελέπομεν, ἀλλ' ὡσθιν  
 μακρότορ) προίμεν τὰς ἐλπίσι, ὧτ' πρὸς ἐτέρω  
 εἰς πῶσθιν ἀπάνθιν πῶσθιν ἀφελέπομεν. ἢ ἢ ἔν ἄν-  
 θρώπων πρὸς τῶσθιν ἡμῖν, ἀγαπᾶντε κὴ δῶσθιν

χλιῶσαι φαμὲν. τὰ ἧ δὲ δζικνόμενα πρὸς ἐκείν),  
ὡς ὁδινὸς ἀξία πζορᾶμ.

Κεφάλαιον Β.

**Τ**ΙΣ δὲ οὐτρὸς ὁ βίος, κὴ ὅπη, κὴ ὅπως αὐτῶν  
βιωσόμεθα, μακρότορον μὲν ἢ ἤτι τὴν  
πζῶσαν ὀρμὴν ἐθεικέσθαι, μειζόνων δὲ ἢ καδ'  
ὕμᾶς ἀκροατῶν ἀκῶσαι. τοσδτῶν γε μὴ εἰπῶν,  
ἰκανῶς ἀν' ἴσως ὑμῖν γνῶσει ξαίμεν, ὅτι πᾶσαν  
ὁμῶ τὴν ἀφ' ὅ γε γέγονασιν ἀνθρώποι, τοδ' λόγῳ  
τῆς συλλαβῶν κὴ εἰς γνῶσιν ἀβροίνας, θυδαιμονίαν,  
ὅδε πολλοσῶ μέρει τῶν ἀγαθῶν ἐκείνων εὐρή-  
σει παρῆσθμὴν, ἀλλὰ πλεῖον τοδ' ἐκείνοις ἐλα-  
χίστα τὰ σύμπαντα τῶν πῆδε καλῶν ἤτι τὴν  
ἀξίαν ἀφεςπῆσῶτα, ἢ καθόσον σκιά καὶ ὄναρ τ'  
ἀληθῶν ἀπολείπεται, μᾶλλον δὲ ἰν' οἰκειοτόρῳ  
χρῆσῶμαι παραδείγματι, ὅσῳ ψυχὴ τοῖς πᾶ-  
σι πμωτόρῳ σώματος, τοσδτῳ καὶ τῶν βίῳν  
ἐκατόρῳ δὲ τὸ διάφορον.

Κεφάλαιον γ.

**Ε**ΙΣ δὲ τῶτον ἀγχοσι μῆ ἱεροὶ λόγοι, δι' ἀκρῶ  
ρήτων ἡμᾶς ἐκπαιδῶντες, ἕως γε μὴν  
ὑπὸ τῆς ἡλικίας ἐπακῶν τ' βάθους τ' διανοίας  
αὐτῶν ἔχ οἶόν τε, γνῶσιν ἐτόροις δ' πάντι διεσπῆ-  
σιν, ὡσπῶρ γνῶσιν σκιάς τισι καὶ κατόπτροις τοδ'  
ψυ-

Ἡ ψυχῆς ὄμματι τέως προγυμναζόμεθα, ὥς  
 γὰρ τοῖς τακτικῶς τὰς μελέτας ποιουμένοις με  
 μνησμένοι. οἱ γὰρ γὰρ χρονομίας καὶ ὀρχήσεσι τὴν  
 ἐμπειρίαν κτησάμενοι, ὑπὲρ τῶν ἀγώνων τῶν ἐκ  
 Ἡ παιδικῆς ἀπολαύσει κορδίας. καὶ ἡμῖν δὲ  
 ἐν ἀγῶνα προκείσθαι πάντων ἀγώνων μέγιστον  
 νομίζω χρεῶν, ὑπερὸν πάντων ποιητέον ἡμῖν  
 Ἡ πονητέον εἰς δυνάμιμ. ἐπὶ τὸν πᾶσιν  
 Ἡ καὶ ποιηταῖς καὶ λογοποιοῖς καὶ ῥήτοσι,  
 καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον, ὅθεν αὐτὸς μέλλει  
 πρὸς τὴν Ἡ ψυχῆς ὑπὸ μέλδαν ὠφέλδαν τις ἔσει  
 ὄντα. ὡσπὸρ οὐκ οἱ δίδουσοι παρὰ σκιδνά-  
 σαντες πρότερον θοραπέειαι τισὶν ὅτι ποτὶ  
 αὐτὸν τὸ δεξιόμενον τὴν βαφίω, οὕτω τὸ αὐτὸ  
 ἐπαύλασιν, αὐτὸν τε ἀλσργόν, αὐτὸν τε ἐτόρον Ἡ.  
 τὸν αὐτὸν δὲ καὶ ἡμεῖς τρόπον, εἰ μέλλοι ἀνεκ  
 πλυτος ἡμῖν ἡ τὸ καλὸν πᾶσαμὲν δόξα, τοῖς  
 ἔξω δὲ τὸ τοῖς προτελεθγόντων, τὴν καὶ αὐτὰ τῶν  
 ἱερῶν καὶ ἀπορῥήτων ἐπακροσόμεθα παιδικῶν  
 ματῶν, καὶ οἷον γὰρ ὑδατὶ τῶν ἡλιορ ὄραμ ἐθιδγόν  
 τῶν, ὅπως αὐτῶν πρὸς βαλδμὴν τῶν φῶτι τὰς  
 ὄψει.

Κεφάλαιον δ.

**Ε**Ι Μὲν οὐκ ὄσιν τις οἰκφότης πρὸς ἀλλήλους τοῖς  
 λόγοις, πρὸς γομ αὐτὸν ἡμῖν αὐτῶν ἡ γνῶσις

Ἡ γίνοιτο.

γυνοίτο. εἰ δὲ μὴ, ἀλλὰ τόγε πρῶτα ἀλλήλα θύγντες  
 καταμαθεῖν τὸ διάφορον, ὃ μικρὸν εἰς βεβαίωσιν  
 τῆς βελτίονος. τίνι μὲντι καὶ πρῶτα κἀσ τῆς παι-  
 δούσεωρ ἐκάρτερον τῆς εἰκότος ἀνίσχυοις. ἢ πρὸς κα-  
 θάρτη φυτῶ οἰκεία ἢ ἀρετῆ τῶ καρπῶ βρούειν  
 ὠραίω, φέρει δὲ ἵνα κόσμος ἢ φύλλα τοῖς κλά-  
 σθις πρὸς δόμνα. ὅτω ἢ ἢ ψυχῆ, προσηγορίως  
 μὲν καρπὸς ἢ ἀλήθεια, ὅκ ἀχαί γε μὴ ὅδε τῆς  
 θύραθιν ὁφίαν ποδι βελήαδῃ οἶον ἵνα φύλλα,  
 σκέπλωτε τῶ καρπῶ ἢ ὄψιν ὅκ ἄωρ) πρὸς ὁμέ-  
 να. λέγετε ὁφίαν ἢ Μαυῦσῆς ἐκείνος ὁ πάνυ, ὅ  
 μέγιστον ὅστιν ἔστι ὁφία. πρῶτα πᾶσι ἀνθρώποις  
 ὄνομα, τοῖς αἰγυπῆων μαθήμασιν ἐγγυμνασάμε-  
 νος τῆς διαύοιαν, ὅτω προσελθεῖν τῆ θεωρίας τοῦ  
 ὄντος. πρῶτα πλησίως ἢ τῶτω καὶ τοῖς κώτω χρο-  
 νοῖς τῶ ὁφὸν Δαυὶδ ἐπὶ Βαβυλῶνος φασὶ τῆς  
 ὁφίαν χαλδαίων καταμαθόντα, τότε τῆ θεωρ-  
 ἀψαδῃ παιδουμάτωρ.

κεφάλαιον ε.

**Α**ΛΛ' ὅτι ἢ ὅκ ἀχρηστον ψυχῆς μαθήμα-  
 τα τὰ ἐξωθεν διὰ ταῦτα, ἰκανῶς εἶρη).  
 ὅπως γε μὴ αὐτῶν μεθεκτίον ὑμῖν, ἐξῆς ἀν εἰν  
 λέγειν. πρῶτον μὲν ὅκ τῆς πρῶτα τῆ ποιητῶν ἢ  
 γνῶσθην ἀρξωμαι, ἐπεὶ παντοδαποὶ ἵνες εἰ-  
 σι μὲν

σι, μὴ πᾶσιμ ἐφεξῆς προσέχημ τ' νοῦν, ἀλλ' ὅ-  
 ταν ἢ τὰς τ' ἀγαθῶν ἀνδρῶν πράξεις, ἢ λόγους  
 ὑμῖν διεξίωσι, ἀγαπᾶντε καὶ ζηλωτῶν, καὶ ὅτε μάλι-  
 σα πρὸς αὐτὸν οἷός τις εἶν'. ὅταν ἢ ὑπὸ μοχθηρῶν ἀν-  
 δρας ἐλθῶσι, τῆ μιμήσει ταύτη διὰ φόβου ὑμῶν  
 φρασσομένους τὰ ὧτα ἔχ' ἢ ἧσιν, ἢ τ' Ὀδυσσεῖα φρα-  
 σίμ ἐκείνοι τὰ τ' σφραγῶν μέλη. ἢ γὰρ πρὸς τοὺς  
 φάλας τ' λόγων σωθήσεται, ὅδός τις ὅστις ὑπὸ τὰ  
 πράγματα. διὸ δὴ πάση φυλακῇ τῆ ψυχῆ  
 τηρητέον, μὴ δεῖν τ' τ' λόγων ἡδονῆς πρὸς ἀδεξάμε-  
 νοί τε λαθῶμεν τ' χερσῶν, ὡσπερ οἱ τὰ διηλητή-  
 ρια μετὰ τ' μέλιτος προσιέμενοι. ὁ οἶνον ἐπα-  
 νεσιμέθα τοὺς ποιητῆς, ὁ λοιδορομένους, ὁ σκώ-  
 πηοντες, ὁ ἐρωῶντες, ἢ μεθύοντας μιμημένους,  
 ἔχ' ὅταν βραπέζην πληθῆσιν καὶ ὠδύας ἀνδραγαθίας  
 τῆ δουραμονίας ὀρίζων. πάντων ἢ ἡκιστα πε-  
 ρὶ θεῶν τε διαλεγόμενοις προσέξωμεν, καὶ μάλι-  
 α ὅταν ὡς περὶ πολλῶν τε αὐτ' διεξίωσι, καὶ τῶ  
 τῶν ὁμοιοτήτων. ἀδελφὸς γὰρ δὴ παρ' ἐκείνοις  
 διασπασιάζει πρὸς ἀδελφόν, καὶ γονεὺς πρὸς πα-  
 τέρ, καὶ ἱσθίς αὐθις πρὸς τοὺς τεκνόντας πόλεμὸς  
 ὅστις ἀκήρυκτος, μοιχείας ἢ θεῶν καὶ ἐρωτίας καὶ μέ-  
 ξης ἀναφανδόν, καὶ ταύτας γε μάλιστα τοῖς κερ-  
 φαῖς πάντων καὶ ὑπὸ τὸ διὸς ὡς αὐτὸ λέγουσιν,

βοσκημάτων τις λέγων ἐρυθείασει, τοῖς ὡπ-  
 σκλήης καταλείψομεν. ταῦτα δὲ ταυτὰ λέ-  
 γει καὶ πῶς συγγραφίω ἔχω, καὶ μάλιδ' ὅταν  
 ψυχαγωγίας ᾖνεα τ' ἀκρόντων λογοποιῶσι.  
 κεφάλαιον ζ.

**Κ**ΑΙ ῥητόρων δὲ τὴν πῶς τ' ἰδέσθαι τέχ-  
 νην, ὅ μιν μισοῦμεθα. ὅτε γὰρ ἐν δικαστηρί-  
 οῖς, ὅτ' ἐν ταῖς ἄλλαις πράξεσι μὴ ὡπτήσῃ ἡμῖν  
 τ' ἰδέσθαι, τοῖς τ' ὀρθῶς ὁδὸν καὶ ἀληθῆ πρὸς ἐλο-  
 μένοις τ' βίαι, οἷς τ' μὴ δικάζουσιν, νόμῳ πρὸς εἶτα  
 γυμνῶν ὄσιν, ἀλλ' ἐκείνα αὐτῶν μάλλ' ἀρξάμεθα  
 δια, ἐν οἷς ἀρετῶν ἐπίνεσαν, ἢ πονηρίαν διεβα-  
 λον. ὡς γὰρ τ' ἀνθρώπων τοῖς μὴ λοιποῖς ἀρχὴ τ' ὕψω-  
 δίας ἢ ἄλλ' ἰσχύος ὄσιν ἢ ἀπόλαυσις, ταῖς μελίτ-  
 ταις δ' ἄρα καὶ μέλι λαμβάνειν ἀπ' αὐτ' ἰσχυ-  
 ρῆ, ὅτω δὲ καὶ ταῦτα τοῖς μὴ τὸ ἴδιον καὶ ἐπίχα-  
 ρει μόνον τ' τοῖς τῶν λόγων διώκουσιν, ὅτι ἴνα καὶ  
 ὠφέλῃ ἀπ' αὐτῶν εἰς τ' ψυχῶν ἀρξάμεθα. καὶ  
 πᾶσαν δὲ οὐκ ἄν' μελιτῶν τὴν εἰκόνα τ' λό-  
 γων ἡμῖν μεθεκτέον. ἐκείναι τε γὰρ ὅτε ἀπασι-  
 ποῖς ἀνθρώποις πρᾶξι πλοσῶς ἐπὶ ὄρχονται, ὅτε μὲν  
 οἷς αὐτῶν πρᾶξι ὅλα φέρειν ὡπχειροῦσι, ἀλλ'  
 ὅσον αὐτῶν ὡπτήσῃ πρὸς τὴν ἐργασίαν λα-  
 βῆσαι, τ' λοιπὸν χαίρειν ἀφῆκαν. ἡμεῖς τε ἡρσῶ  
 φρονῶ-

φρονάμεν, ὅσον οἰκείου ἡμῖν ἢ συγγενὲς τῇ ἀλη-  
θείᾳ παρ' αὐτῶν ἠμισάμενοι, ἵνα ὀρθησόμεθα  
τὸ λοιπόμενον, καὶ καθάπερ ἐλθροδωνίας τοῖ  
ἀνδρὲς δρεψάμενοι, τὰς ἀκαίθας ἐκκλινομέν,  
ἔτω καὶ ἐπὶ τῶν τοιούτων λόγων, ὅσον χησί-  
μου καρπωσάμενοι, τὸ βλαβερὸν φυλαξόμε-  
θα. Δυθὺς οὖν δὲ ἀρχῆς ὑποσκοπεῖν ἕκαστον τῶν  
μαθημάτων καὶ σωμαρμόζην τῶν τέλει πρὸς ἡ-  
κε, ἢ τῆ δωρικῶν παροϊμίαν, ἢ λίθου ποτὲ  
τῶν ἀπάρτην ἀγοντας.

Κεφαλαίου η.

**Κ**ΑΙ ἐπειδήπερ δι' ἀρετῆς ἡμῖν ἐπὶ τὸν  
βίον καθεῖναι διὰ τὸν ἡμέτερον, εἰς ταύ-  
τῳ δὲ πολλὰ μὲν ποιηταῖς, πολλὰ δὲ συγγρα-  
φοῦσι, πολλῶν ἢ ἐτι πλείων φιλοσόφοις ἀνδρά-  
σι μνηται, τοῖς τοιούτοις τῶν λόγων μάλιστα  
πρὸςεκτέον. ὁ μικρὸν γὰρ τὸ ὄφελος οἰκειότη-  
τά πιν καὶ σωθήσαν ταῖς τῶν νέων ψυχαῖς τῆ  
ἀρετῆς ἐγγενέσθαι, ἐπέπερ ἀμετάστατα πῶς φυ-  
κῶν εἶν τὰ τῶν τοιούτων μαθήματα, δι' ἀπαλό-  
τητα τῶν ψυχῶν, εἰς βάθος ἡσσημανόμενα. ἢ  
τί ποτε ἄλλο διανοηθῆναι ἢ ἠσίοδον ἵπολά-  
βωμεν ταυτὶ ποιῆσαι τὰ ἐπη ἀπαντες ἀδου-  
dico Chio Xenophon libro ἀπομνημο-  
νευμάτων secundo his uerbis, cū & He-  
siodi præscriptam sententiā, & Epichar-  
mi quædam recensuisset, nos autem mi-  
nime iam propter uenustatē historię si-  
mul ac uetustatē illam ascribere piguit:

καὶ πρόδικος δὲ ὁ σοφὸς, &c. Hoc est,  
Sapiens quoq; Prodicus in illo, quod  
de Hercule cecidit opere, similiter dispu-  
tat de uirtute in hunc modū, quantum  
ego memini dicens; Ait nanq; Hercu-  
lem cū à puerili ætate ad adolescentiam  
pertiniret, cum adolentes iam sui ar-  
bitrii effecti, ostēdunt siue per uiam uir-  
tutis, siue uitiorum uitam suam docent,  
egressum à ciuitati in solitudinem, con-  
sedisse cogitationibus agitatum, utram  
uiarum

uiarum supradictarum præponeret, ubi  
duas ad eum apparuisse accedere mulie-  
res magnas, alteram honestam & libera-  
lem uisu, ex ipsa natura corpus quidem  
mundicia ornata, oculos uero uerecun-  
dia, effigiem autē tota castitate, alba ue-  
ste uestitam. Alteram uero ad carnosita-  
tem atq; molliciem esse nutritam, orna-  
tum uero calore quidem ut albior atq;  
rubicundior. Effigiem uero ut rectior  
quā à natura esset, appareat. Oculos  
autem uagātes, atq; apertos habentem,  
tali ueste uestitam, ex qua pulchritudo  
quam maxima coruscet, sepeq; seipsam  
respicere & attēdere, si quis etiam alius  
eam uideret. Nonnunquam autem &  
ad propriam umbram aspiceret. Cū au-  
tem propius Herculem accesserunt, pri-  
mam quidem eodem modo ire, alteram  
uero præuenire uolentem cucurrisse ad  
Herculem atq; dixisse. Considero te o  
Hercules, dubitantem quam uiam ele-  
gas: Si itaq; me diligas ad uoluptuosissi-  
mam facillimamq; te ducam uiam, & illa  
quidem quæ delectent omnia gusta-

bis, laboris expers uiuens. Primū nanq̄  
neq̄ bellorum, neq̄ negotiorū curam  
habebis, sed potius cōsyderabis, quem  
tibi gratum aut cibum, aut potum inue  
nias, quid uē uisu aut oderatu, aut tactu  
uoluptuosum percipias, quibusq̄ cupi  
ditatibus usus quā maxime delectati  
one affectus fueris, quoq̄ pacto mollis  
sime dormias, et absq̄ laboribus omnia  
īsta obtineas. Quod si quando deficere  
illa, quibus hęc acquirūtur, suspicio sit,  
nō erit tibi necessitas laborare, corpusq̄  
animāq̄ pro inueniendis istis cōterere,  
sed illis tu uti poteris, quę cæteri operan  
tur, à nulloq̄ abstinebis, unde lucrum  
aliquod subostendatur. Vndiq̄ nanq̄  
utilitatem suam acquirere meis necessa  
rijs licet. Hęc cum audisset Hercules, ō  
mulier, inquit, quod nomen est tibi? At  
illa mei quidē necessarij ait, felicitatem  
me appellant, qui uero oderunt, prauita  
tem me nominant. Cumq̄ hęc diceren  
tur, altera mulier accessit, & dixit. Ego  
quoque ad te uenio Hercules, cum sci  
am tuos



am tuos parentes, naturamque tuam, & ingenium in studijs considerassem, è quibus non modicum spero, dummodo meam eligas uiam atque doctrinam, & te uirtutis cupidum bonorumque ac honestorum operum effici cultorem, meque multo honorabiliorem, & in bonis præclariorem fore. Non decipiam autem te à uoluptate exordiando, sed qualem rebus Dii contulerunt naturam, tibi cum ueritate narrabo. Nil enim eorum, quæ bona atque honesta sunt, Dii hominibus sine labore & studio præstant. Sed siue Deos esse tibi propitios uis, colendi sunt ipsi Dii, siue ab amicis diligere, amicis benefaciendum. Siue à quadam ciuitate honorari desideras, ciuitati aliqua utilitas adferenda. Siue à tota Græcia ob uirtutem admiratione dignus existimari, conandum est toti Græciæ bene facere. Siue tibi terram fructus producere, terra colenda; siue à iumentis diuitias acquirere, iumentorum tibi cura habenda est, siue per bellum desideras

desyderas auereri, ac uis amicos quidem  
à seruitute liberare, inimicos uero in ser  
uitutem redigere, bellicæ artes & discen  
dæ sunt ab illis qui sciunt, & exercendū  
in eis, quomodo eas debeas uti. Si uero  
uelis corpore etiam fortis esse, subijciē  
dum est animo corpus, atq; exercendū  
in laboribus atq; sudoribus. Prauitas ue  
ro subridens, ut Prodicus narrat, Intelli  
gis o Hercules, inquit, quam asperam  
ac longā uiam ad delectationes hæc mu  
lier narrat. Ego uero par facili et breuis  
sima uia ad felicitatē te ducam. Adhæc  
uirtus respōdens, o misera, inquit, quid  
boni tu habes? aut quid tibi suaue uide  
ri potest? cum nihil horum gratia agas,  
nec suauium rerum desyderium expe  
ctes, sed antequam cupias omniū isto  
rum implearis. Nam antequam fame  
scas comedis, & antequam sitias bi  
bis. Et ut cum uoluptate cōmedas, ex  
quisitorum ciborum uteris coquis. Ut  
uero uoluptuose bibas uina uaria præ  
ciosaq; ac in æstate circuēs hinc & illinc  
queritas niuem. Ut autē quam suauiter  
dormias

dormias, non solum stratum molle supponis, sed lecticas ac lecticis sustentacula præparas. Non enim propter laborem, sed quoniam nil habes quod agas, somnium desyderas. Res uero Venereas omnibus machinationibus, & antequam corpus indigeat exerces. Ipsiis etiam uiris ut mulieribus uteris. Sic enim tuos amicos instituis, nocte quidem in turpitudinibus uacans, quod autem utilissimum diei est, in somno consumens. Cum uero immortalis sis, à Dijs quidē præcæta es, à bonis uero hominibus ignominia affecta. Nunquam quod auditu dulcissimum est, tuam audisti laudem, nec quid suauissimum uisu, bonum uuluum tuū opus uidisti. Quis igitur cum aliquid dicas, crederet tibi, aut cum indigeas quicquā tibi præstaret. Aut quis suæ compos mentis, uoluerit inter tuos connumerari, qui in iuuentute quidem corporibus debiles, in senio uero mentes efficiuntur. Cum adolescentiā cum pigritia in delitijs peragant. In senio autem multis laboribus & infirmitatibus confringantur

confringantur, quicq̃ uerecundati super  
his, quæ egerunt, non tamen minus su-  
per his, quæ agant, grauantur, tanquam  
qui in iuuetute omnibus uoluptatibus  
affectu, in senectutem sibi omnia mole-  
sta seruarunt. Ego uero sum quidẽ cum  
Dijs, adsum uero bonis hominibus, ni-  
hilq̃ operis boni, neq̃ diuini, neq̃ hu-  
mani sine me fieri potest, magisq̃ alijs  
omnibus, & apud Deos & apud homi-  
nes optimos honoribus fruor. Etenim  
desyderata cooperatrix artificibus sum.  
Fida domorum domini custos, beneuo-  
la famulis, patrona operum, quæ pacis  
sunt bona coadiutrix. Bellicorum uero  
firmissima socia, amicitia optima parti-  
ceps. Adhæc autẽ meis necessarijs sua-  
uis atq̃ prompta cibi potusq̃ fruitio est,  
expectant enim quousquam illa desy-  
derent. Somnus autem uoluptuosior il-  
lis, quam ociosis euenit, & neq̃ excitati  
molestè ferunt, neq̃ ab illo detenti, quæ  
agenda sunt, negligunt. Iuniores autem  
gaudent seniorum laudibus. Seniores  
uero lætantur iuniorũ honoribus. Nos  
quoq̃

quoque gestas à priscis iocundissime memoria repetendo, non minori cum iucunditate res eis præsentes peragunt, Quas ob res Dijs amati, desiderati amici, honorabiles patrijs efficiuntur. Cum uero fatis datus, finis peruenerit, non obliuioni traditi sine honoribus iacēt, sed memoria hominum cōmendati in æternū florent. Hæc o Hercules, inquit, bonorum parentum fili, sudoribus licet exercendo beatissimam felicitatē habere.

*θεῶν γενέσθαι.*] Deum fieri, dixit specie prouerbiali, ut quē homines ut Deum obseruent & colent, quemadmodū etiam Tityrus Virgilianus dixit: Deus nobis hæc oia fecit, Octauium Augustum subiudicans.

*In Caput octauum.*

*ἐπὶ τοῦ βίου δεικνύναί τοὺς λόγους.*] Vita à uerbis dissidere non debet. Nam perfonatos illos philosophos, qui ore tenus quidem uirtutem cōprobant, cæterum factis quam longissime absunt, Basilus hoc loco perstringit ac reprobat, histrionibusque scenicis similes facit. Possent illi quoque

quoque non iniuria Sileni inuersi appel-  
lari. Nihil enim tam decet in omni uita,  
quam mores uerbis conformes presta-  
ra, quemadmodum diserte Cicero in li-  
bris officiorum tradit. Et Diogenes eos,  
qui recta dicerent, nec facerent, lyrae si-  
miles aiebat, hanc enim nihil audire ne-  
que sentire, estque elegans uerbum apud  
Græcos, οὐ λόγον ἀγορὰ δ' αἰτᾷ ἐλλάδος, ἀλλ'  
ἔργων.

*ἐπὶ σκηνῆς.*] Similitudo est ab histrion-  
nicis ludis ducta. Scenam enim Labeo  
iuricons. dicit eam esse, quæ ludorum fa-  
ciendorum causa quolibet loco, ubi quis  
consistat, moueaturque spectaculum sui  
præbiturus, posita sit, in publico priua-  
torum, uel in uico, quo tandem passim ho-  
mines spectaculi causa admittant, ἀπὸ  
τῆς σκηνῆς, quod tabernaculum apud  
Græcos significat, eo quod σκιά, id est,  
umbram præbeat. Hinc prouerb. Ser-  
uire scenæ.

*εἰ τὰ μουσικὸς μέγ.*] Alia similitudo est  
ad institutam disputationem satis apta,  
qua ostendit uitam uerbis consentaneam  
esse

esse debere, ac mores professioni respondere.

κατ' ευριπίδην.] Qui in Hippolito Coronato sic dicit: ἡ γλῶσσο' ὀμώμοχ' ἡδὲ φρεῖν ἁμώμοσθ', id est, iuravi lingua, mentem iniuratum gero. Citat hunc Euripidis locum Cicero quoque, lib. 3. off. Porro adagium est, lingua iuravit.

Τὸ δὲ σκεῖν δίκαιον.] Monet hoc Platonis dicto simulationem omnibus modis uitandam esse. Quod etiam Xenophon de Socrate scribit, cum scilicet auditores suos à simulatione dehortari, uirtutiq; operam dare hortari solitū, dicentem non esse meliorem uiam ad honores acquirendos, quàm ut quisq; esse uelit, non uideri bonus, αἰετὰ γὰρ ἔλεγεν, ὡς ὑπερκαλλίω ὁ δὲ ἐπ' εὐδοξίᾳ, ἢ δὲ ἢς ἀντίθετος ἀγαθὸς τοῦτο γένοιτο καὶ σκεῖν βούλοιτο. Porro hic locus Platonis extat quoque apud Plutarchum in commentario de discrimine adulatoris & amici.

In Caput nonum.

Γράξεις σπουδαῖαι τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν.] Commendatio est poetarum & historicorum

G corum

corum, adeoq; externarum literarum a  
commodo & utilitate, quod uidelicet il  
larum beneficio memoria dictorum &  
factorum conseruatur. Quēadmodum  
& Horatius ait: Ille uelut fidis archana  
sodalibus olim credebat libris.

*ταυ περικλεια.*] Exemplum est pacien  
tis animi & sedati, cuius uiri uitam de  
scripsit Plutarchus.

*παλιρτις ενκλειδεν τω μεγαροθεν.*] Ali  
ud est exemplum animi iram cohiben  
tis, quod in hunc modum recenset Plu  
tarchus in libello, *περι αοργησιας. η δε ενκο  
λια,* &c. Quæ sic Magnus uertit t. ras  
mus: Morum facilitas alijs quidem opi  
tulatur, alia uere componit, alia condul  
cat. Vincit autem māsuētudine & iram,  
& omnem morum difficultatem, quem  
admodum de Euclide narrant, cui cum  
frater ob dissidiū dixisset, peream ni te  
fuero ultus. At ego, inquit, peream, ni  
tibi persuasero. Hoc dicto mox uertit in  
diuersum fratris animum.

*επ' εχθρους θυμους οπλιζει χερα.*] Non dis  
simile, dixit Virgilius: furor arma mini  
strat



strat. Cæterū Aristides in oratiōe Vlyssis legati ad Achillem: Narrare, inquit, tibi uolo sermonem Chironis magistri tui, quem cum quodam Aetolo habuit quondam in Pelio. Aiebat enim nihil esse moderata iracundiā melius hominibus, immodica uero nihil deterius. Nam hęc apud inimicos finire ultione & pœna illorum, eum uero qui exerceat perpetuo malo consumi.

ἔτυπτό τις τὸν σωτήρονίσκου σωκράτην.]

Tercium exemplum subnectit de patientiā Socratis.

τὸ τοῦ ἀλεξάνδρου.] Alexandri modestis præclarum est exemplum & memorabile. Sapienter enim à Platone dictū est, τὸ νικᾶν αὐτὸν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρόγον τε καὶ ἀρίστη, hoc est, Seipsum uincere eadem uera est uictoria.

τὸ δὲ τοῦ κλεινίου.] Quintū exemplum est, Clinia iurare ob lucrum nolentis. O quām rarum hoc est nostro tempore in contentionibus fori.

τὸν ὄρκον ἡμῖν ἅ παρορέοντες.] Apud Matthæum Christus saluator noster ait

cap. 5. Audistis quod dictum fuerit an-  
 riquis, Non peierabis, sed persolues do-  
 mino ea quæ iuraueris. At ego dico uo-  
 bis, ne iuretis omnino, nec per cœlum,  
 qui thronus dei est, nec per terrã, quia  
 subsellium est pedum illius, &c.

*In caput decimum.*

ἀποχρῶν τῶν μὲν σιτίων.] Similitudine  
 à cibus sumpta, docet ea, quæ ad hone-  
 stam uitam conducunt sequenda esse.  
 Ex Platone autem hæc similitudo sum-  
 pta uidetur, qui ait, quemadmodũ em-  
 pticios cibos priusquã in stomachum  
 demittantur, uasculo aliquo exceptos do-  
 mum deferre, ac degustatione facta pa-  
 riter & medicorum consilio adhibito,  
 quicquid ualetudini nostræ cõducant, quicquid  
 aduersent, dijudicare solemus. Si quicquid  
 in cõparandis disciplinis ac libris ratio-  
 nem habere debemus. Porro aliæ quæ  
 sequuntur similitudines è medio com-  
 munitatis uitæ ac rerum usu sumptæ, hoc  
 præstant, ut curemus, ne temere huc atque  
 illuc feramur: sed studia nostra ad certũ  
 aliquem finem ac scopum dirigamus.

Hæcquæ

Ἡ αὐτὴ ex causis finalibus colligit. Quare etiam noster hic scopus esse debet, ut bene honesteque uiuere studeamus.

ἢ παγράτιον.] Ludo scilicet gymnico, qui quinquertio constat, à quo Pangratiaestæ appellantur, nimirum quod hoc ludo excellunt. Plinius lib. 35. Alcimachus Dioxiippum, qui Pangratio olympia citrà pulueris tactum, quod uocant ἀκονιτι, uicit.

ὁ πολυδάμας.] Ferunt hunc Troianum cum Antenore & Aenea urbem Troiæ tradidisse Græcis. Polydamæ meminit Homerus lib. 12. & 13. Iliados.

καὶ ὄγε μίλων.] Milonem (ni fallor) Cratoniata putat, quem Herodotus luctatorem appellat lib. 3. & de quo illud fertur commune prouerb. Taurum tollet, qui uitulum sustulerit. Cuius meminit Lucianus quoque in dialogo, qui inscribitur, contemplantes, Milo Crotoniata (inquit) hic est Athleta, cui Græci applaudunt, quod taurum sublatum solus per medium ferat stadium, at nunc ne culicem quidem amplius nēdum

G 3 taurum

taurum ferre potest.

*πρὸ τοῦ ἀγῶνος τοῦ ὀλυμπιάσι.]* Olympicum certamē quinto quoq; anno fieri solebat in honorem Iouis Olympiaci, cuius autorem Herculem fuisse putant.

*τὰ μαρσίου κρῦματα.]* Pulsationes & modulos Marſiæ, qui Phrygios inuenisse dicitur.

*καταλιπόντες τὴν κόνιν.]* Relinquētes puluerem, hoc est, certamina olympica. Horatius. Sunt quos curriculo puluerem olympicum collegisse iuuat. Est & prouerbiū citra puluerem, de quo uide Eras. in Chiliad.

*καὶ τὰ γυμνάσια.]* Palastram, eum locum, ubi se exercēt luçtatores, & qui certamine sunt cōgressuri. Porro hanc uocem palastram Budæus uir omnibus modis summus interpretatur motum, flexum, & decentiam illam corporis, quæ omni ex parte uenusta sit ac lepida. Contra qui hac dexteritate carent eos apalæstros nūcupari dicit, ut qui ab hoc composito nitore & ingenuitate longissime absint. Hic autem utraq; uox et

*γυμνάσιον*

γυμνάσιον & palæstra accipitur pro loco  
luctationis aut exercitationis, ut apud  
Virgilium: Pars in grammineis exercēt  
membra palæstris. Et Politianus: Incal  
uere animis dura certare palæstra.

ὁ τιμόθεος τὴν μελωδίαν. Hic nobilissi  
mus Musicus sub Alexandro Magno  
floruit. De cuius musica tam potenti, &  
qua Alexandrum ad bellum accende  
re solebat, meminit etiam Dion in libro  
de Regno.

τὸ φρύγιον ἐπαύλησαντα. ] Concitatum  
& uehemētem modum, quo nimirum  
solebat animos accendere cantu. Vide  
prouerbiū apud Eras. à Dorio ad Phri  
gium, Item Dorica Musa.

τοσαύτην ἰσχὺν. ] Tantam uim ac ui  
res musica habet, ἐπιφώνημα est, quo hęc  
disputationem de fine & scopo præfi  
giendo claudit, uultq; innuere, ne in stu  
dijs nostris citra scopum iaculemur. Ve  
rum certo aliquo proposito gnauiter la  
boremus, ut quandoque τυγχάνειν τοῦ  
σκοποῦ τῆς ἀνεμοστρεφῆς παιδείας, καὶ μα  
καρίου θείου queamus.

## In Caput XI.

ἐπεὶ δὲ σεφάνων καὶ ἀθλητῶν.] Pergit nobis cōmendari labores exemplo pugilum & luctatorū, ne illos horreamus, sed cum his tanta bona, uitamq; beatam comparare liceat, non grauate suscipiamus. Neq; enim temere dictum est ab Epicharmo, Deos omnia laboribus uēdere. Et diuus Paulus non uno in loco nos ad labores suscipiendos etiam suo exemplo hortatur, subinde à Gymnicis & certantibus uerba transferens. Libenter enim (cum hæc uita sit militia) eiusmodi metaphoris utitur. Est autem argumentū à minori, quasi dicat, Si tantos sudores atq; pericula suscipiunt hi, qui in Olympicis certāt, quiq; in stadio decurrunt ob uile aliquod pretium, puta oleastri, aut aprij lauream, quanto nos æquius est uirtutem honestaq; facta sequi, cum tanta sint nobis præmia proposita, nimirū felicitas ipsa & æterna beatitudo. Quando igitur tanto studio nobis industriam cōmendat Basiliius, non molestum putauit pro huius loci declaratione

ratione adscribere, quæ de ea ipsa refert  
 Laërtius in uita Diogenis: *διττήν δ' ἔλεγε  
 γερῆναι τὴν ἀσκησιν, &c.* Hoc est. Dice-  
 bat duplicem esse exercitationem, alte-  
 ram animi, alteram corporis. Hanc se-  
 cundū quam in exercitio perpetuæ quæ  
 fiunt imaginatiōes præstant ad uirtutis  
 opera quædam adminicula. Porrò alte-  
 ram sine altera esse imperfectam, nihilo  
 minus bona habitudine & robore inter  
 ea quæ cōpetunt adnumerato, quippe  
 quæ ueluti circa corpus ita & circa ani-  
 mā sint. Adijciebatq; argumenta, quod  
 ad uirtutem facile exercitio proficiatur.  
 Cernere enim se in artibus mechanicis  
 & alijs opifices ex consuetudine operis  
 non minimam operandi celeritatem fu-  
 isse consecutos. Athletas item & tibicia-  
 nes inter sese imminere tāto interuallo,  
 quanto maiore studio & labore uersati  
 fuerunt. Atq; siquidem ita isti exercita-  
 tionem ad animū transtulissent, nequa-  
 quam inutiliter aut imperfecte labora-  
 rēt. Nihil dicebat in uita omnino absq;  
 exercitatione perfici, eam uero omnia

G 5 exuperare

exuperare posse. Cum igitur repudiatis inutilibus laboribus naturales insequi ac uiuere beate debeamus, per summam dementiam infelices sumus, &c.

ἐπ' ἀμφω καθεύδουσι.] In utrāq; aurem dormientes, quo prouerbio supremam securitatem intelligit. Vide Eras.

καὶ ὄγε σαρδανάπαλον.] Quoties effœminatissimum & mollissimum hominem, adeoq; stupris & segnitie perditissimum significare uolumus. Sardanapalum dicimus. Hunc enim uirum muliere corruptiorem Iustinus historicus appellat.

ἢ καὶ ὁ μαργίτης. Absolutæ infamiae atq; turpissimi exempli, cum apud Homerum, tum alios autores hi sunt Therfites, Margites, Sardanapalus, Busiris, &c. Ceterū Margites erat omnium stupidissimus, ut ob singularem etiam stupiditatem eius nomen abierit in prouerbiū, qui ultra quinque ignorabat numerare, & uirginem, quā duxerat, nō audebat attingere, ne scilicet hoc illa matris indicaret. Vide prouerb. apud Eras.

ὄμνη



ὁμηροῦ εἶπεν.) Hos uersus Homeri  
 citat quoq; Aristotiles libro 5. Eudemi  
 orum Moralium, & Eras. in Prouerbio  
 Margites.

ὁ του πιττακου λόγος.] Mitylenxi scilicet  
 arduum esse bonum existere, cuius  
 sententiæ & Laërtius in uita Pittaci, &  
 Simonides, & Plato in Protagora me-  
 minerunt, Platonis aut uerba hæc sunt:  
 καὶ δὴ καὶ τῷ πιττακῶν ἐστὶν, &c. Hoc est,  
 Pittaci proprium hoc dictum circumfe-  
 rebatur à sapientibus celebratum, bo-  
 num manere difficile esse. Cum stulto-  
 rum infinita gens sit. ut si quis eos uitu-  
 perare pergat, necessario defatigetur.

ὁ δὴ θεοθυμότερον ἡμῶν.] Ad laborē & in-  
 dustriam suscipiendam nos adhortatur,  
 quando quidē ita comparatū est, ut nihil  
 à Dijs superis sine magno labore morta-  
 libus datum sit. Et præclare dixit Plato:  
 Virtutis ramos è sudoribus et laboribus  
 produci. Diogeni cum quidā diceret se  
 nex es, iam quiesce à labore, qd (respon-  
 dit) si in stadio currerē, ad finē oporteret  
 cursum remittere, et nō magis intēdere.

In caput

## In caput XII.

*τί οὐρ ποιῶμεν φαίη τις ἄρ.]* Præsumptione utitur seu subiectione, qua respondet interrogati, an corporis cura habenda etiam sit, aut ipsum plane negligendum præ animi cultu: & paucis quaestionem absoluit, nimirum dicēs in hoc alii oportere corpus, ut laborū sit patiens, & ministerium præstet ac seruiat animo honestis officijs atq; artibus occupato. Contrā, eos, qui crebras comestiones & crapulas sectantur atroces pœnas manere dicit.

*καὶ μαγείρους περινοῦντες.]* Mente agitare coquos, speciem habere uidetur pro uerbū, atq; in eos detorqueri posse, quibus semper animus (iuxta Comicum) est in patinis, quicq; nulli rei præterquam uino & frugibus p̄dendis natī sunt. Nō dissimile refert ex Platone Athenæus.

*ἐν τῷ κατὰ τὴν νόον, τῶν ἐν ἄλλου.]* De pœnis inferorum legere est apud Macrobiū libro primo commentariorum in somnium Scipionis cap. 10.

*ἀντλῦντες πίθου.]* Allusio est ad Danaidum

naidum puellarum dolium, quod iccirco in prouerbiū abiit, quod inexplebile esset. Vide Chiliad. Erasmi.

ὄυδὲρ πέραις τῶν πόνων ἔχοντας.] Vt quoq; de Sisyphi saxo fertur in fabulis, &c.

κουράς δὲ καὶ ἀμπεχόναις.] Cultum corporis nimium & immoderatum improbat, quemadmodum hoc Catonis distichon: Inuidiam nimio cultu uitare memento. Quæ si non lædit, tamē hanc sufferre molestū est. Hic uenit in mentem illud uerbum, quod quandoq; me coram retulit, iuuenis ornatissimus pariter etiam doctissimus Ioannes Fichardus doctor & aduocatus Francphurtensis, habere idē se à Petro Paulo Cypro, inter cōsimilia nō illepida dicta Cypriaca, quibus gens illa hodiēdum utitur, nullis tamen tonis accentibusue adscriptis cognouerit, φαγε καὶ πικισοῦ τροποῦ σὸ ἐν δίδου δε κατὰ τοὺς ἀλλοὺς, comede ac bibe tuo more, sed uesti te iuxta alios.

ξυσίδα ἀναβεβλήσθαι.] Veste subtili induatur an uulgari pallio seu trita lacerna, ξυσις λέγεται τὸ κροκὼ τὸν ἰμάτιον, ὃ οὐκ ἔστιν ἰνίοχοι

ἡνίοχοι μέγρο φῦν φορῶσι πομπῶν ἄνευ, χρω-  
 νται δὲ αὐτῶ ἰγὸς τραγικῆ βασιλεῖς. Suidas.

ὅς τις ποτε ἐσιρέσσοι. ] Respicere uide-  
 tur ad illud omnibus seculis iactatū pro-  
 uerbiū γνῶτισ' αὐτῶν, quo monemur uel  
 Apollinis Delphici oraculo, ut quisq;  
 ipsum se cognoscere studeat, ne citra  
 quam oportet efferamur, cū simus mo-  
 mentanii, & miseri mortales, quē admo-  
 dū uere et elegāter Virgilius, inq̄t: Opti-  
 ma quæq; dies miseris mortalibus æui  
 Prima fugit. Porrò de sui ipsius cogniti-  
 one uide elegantem sermonē apud no-  
 strum Basilium, in Attende tibi.

In caput XIII.

Τοῦτο δὲ μὴ καθηραμένοις. ] Corruptelas  
 quasdam mētium & auriū recenset hoc  
 capite, inter quas non postremas partes  
 habēt spectacula publica, quod & poē-  
 ta sentit cum, inquit,

*Spectatum ueniunt, ueniunt spectentur & ipse.*

Iam & musica multū abuti quosdam di-  
 cit, qui eam non ad affectus suos & mo-  
 res, ut iubet Plato, componēdos, sed ad  
 quaslibet scurriles nugas adhibēt, suarq;  
 libidini

libidini inferuire cogunt, cum Deorum munere nihil sit mortalibus datum, uel iucundius uel concinnius.

*καθάρασι δὲ ψυχῆς.*] Expiata, purgata, seu purificata mente. Quod & Catonis distichon tradit:

*Si Deus est animus nobis ut carmina dicunt,*

*Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.*

*μὴ ὀφθαλμοῦς ἐστῆν.*] μεταφορικῶς dixit pascere oculos, pro delectatione, & uoluptario aspectu.

*ταῖς ἀτόποις τῶν θαυμασποιοῦν ἐπίδειξις.*] Spectaculorū quondam multa ac uaria genera ædidiit uetustas, quæadmodū alibi legere est in historijs, & Cæsaribus Tranquilli. Neq; dum desijt ille mos in uniuersum apud Italos & Gallos. Scripsisse autē de antiquis Romanorū spectaculis duos libros Tertulianū cōstat, quorū exemplar unū uir ornatissimus atq; doctissimus Vlrichus Fabritius præcessor noster, quod ex suo chirographo cognoui, reliquit. Quo autem postea hi libri deuenierint, aut ubi lateant, ignorauius, à summis & clarissimis uiris  
Erasmo

Erasmo & Rhenano tantopere in ædificatione Tertuliani exoptati desideratiq̄,  
Volo igitur eos, penes quos latent, hac  
mea uoce rogatos & obtestatos, ut tan-  
dem eiusmodi libros de spectaculis in  
studiosorum manus prodire sinant, nisi  
uelint, perpetuo alienæ rei & occultæ  
possessores haberi.

Δαβιδι χρώμενος ὁ ποιητής.] Qui furen-  
tem Saulem cithara sua deliniuisse. Scri-  
ptura sacra prohibetur,

λέγεται δὲ καὶ πυθαγόραμ.] Non diffi-  
mitem historiã de Pythagora refert Bo-  
ëtius in præfatione musices.

τὸ δ' ὤριον.] id est, tēperatiores & mo-  
deratiores modulos. Vide adagium à  
Dorio ad Phrygium.

τοσδὸν ἐστὶ τὸ διακρονον.] Acclamatio est.

ὡς ἐστὶν τῆς νῦν διακρονοῦσης.] Apparet eta-  
te Basilij uehementer musica uulgo ab-  
usum fuisse, qua etiam hodie quidē ni-  
mis leuiter abutuntur. Utinam autē ab  
hoc uitio tam abessent cætere gentes,  
quam absunt Germani. Aliarum enim  
pleręq̄ uulgi conciones spurca prorsus  
pruriunt

pruriunt foeditate.

ἀτμούς γε μὴ παντοδαπούς.] Præteritio est, quasi dicat, de pastillis, unguentis, & delicatis illis odoris uestris, pudet me quicquam comminisci.

τί δὲ ἄρτις εἶποι.] In incessu, uultu, et habitu corporis toto quædam modestia semper & uerecundia elucere debet. Id enim ingenuos & pios homines, cōpimis uero adolescentiam decet. Nec semel idem præcipit Paulus apostolus,

πρὸς τὴν γαστέρα.] Seruire uentri & inuini pecunium est. Sic uentrem dixit Diogenes, uitæ Charybdim esse, Pythagoras semen, cerebri stillam, &c.

In caput XIII.

ἐνὶ δὲ λόγῳ.] Perstat in eo ut existimet nimiam corporis curam uitandam esse, quin potius corpus nostrum ex Platonis sententia, ad ministeriū animæ, quomelius studio philosophiæ uacare possimus, subiugandum fore.

λέγων τῷ παύλῳ.] Ad Romanos sexto capite dicit, ne regnet peccatum in mor

H tali

tali uestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates eius.

*τῶν περὶ τὰ ὄργανα.*] ὁμοίωσις est, qua monemur corpore mortali uelut instrumento ad philosophiæ studium utendo esse.

*ὡς περὶ θηρίου.*] Beluam appellat corpus, ut uere belua est, quodcunque recte rationi non obedit. Ait enim diserte Plato: hominem recte institutum, in diuinum animal euadere, contra perperam educatum, in immanem quandam de-  
generare beluam. Eadē quoque loquendi figura ferē usus est Aristoteles, ὁ δὲ ἀνθρώπου κελείωρ πρὸς τιθης, καὶ θηρίων.

*ὡς περὶ ἡνίοχου.*] ὁμοίωσις. Et nota est Phaëtonis fabula ex Quidio lib. 2. Metamorphosin.

*καὶ τὰ πύθαγόρου.*] Ab exemplo Pythagoræ probat corpori non nimium esse studendum aut indulgendum, quod idem facit exemplo Platonis.

*τὸ δεσμώτηριον.*] Animæ carcer corpus est, nam sub hac illa continetur & clauditur. In hanc rem elegans hoc Palladiana



ladium apud Græcos epigramma legitur, σῶμα, πᾶσι ψυχῆς, &c. Hoc est, Carcer & infernus, tum luctus tristeq; pondus,

Est animo corpus, cum dominatur ei.

Hoc laxatus enim seue ceu à carcere mortis

Praeuolat ad sedem candidus ipse Deum.

ἐνεξία ἐκ τῶν ἡλίου σα.] Alludit (ni fallor) ad illud quod Hippocrates Aphorismorum tertio scribit, ἐν τοῖσι γυμναστικαῖσι καὶ ἐπ' ἀκροῦ ἐνεξία σφαιλεῖται, Hoc est, Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosos esse. Quod etiā multo ante Hyppocratem admonuit Homerus Angelo Politiano teste.

In caput XV.

ἀλλὰ μὴ εἰ τοῦτον.] Studium corporis colendi sequitur diuitiarum studium, cum corporis cultus & voluptatū amor sine opibus consistere nō possit. Ideoq; per corporis negligentiam diuitiarum contemptum recte induci existimat.

κατὰ τοὺς ἐν τοῖς μύθοις δ' ἑκόντας.] Finxerunt poëtae dracones thesauris incubantes, & eorum custodix adhibitos,

H 2 propterea

propterea quod hi & mira oculorum  
acie præstant (nam ἀπό τοῦ δέρεσθαι,  
quod est uidere, aiūt dictos esse) & exi-  
stimantur uigilātissimi, ut apud Ouid.  
in 7. Metamorph. Peruigilem superest  
herbis sopire Draconem. Est hæc etiam  
uox quasi prouerbialis apud Ciceronē  
in Philippicis. Quasi Thesaurum Dra-  
co. λυδίου ψήγματος, id est, Lydia harena,  
unde fit aurum. Speciem habet prouer-  
bii, quemadmodū illa; Lydius currus,  
Lydius lapis. Apparet autē id de re non  
uili aut contemnenda dici, cum & mul-  
tum auri in Lydia prouenire receptum  
sit, ut est apud Lucianum in Dialogo,  
qui inscribitur, contemplantes, & ha-  
beatur quoq; terrarū fertilissima, quem-  
admodū ex Chrystantæ oratione apud  
Xenophontem facile colligitur, ubi ita  
inquit, ἀλλὰ γὰρ ἐπεὶ, &c. Id est, Enim-  
uero postquam non de Syria solum cer-  
tabimus, ubi triticum est multum, & pe-  
cudes, palmæq; fructifere: Verum de Ly-  
dia quoq; ubi multum est uinum, mul-  
tæ fici, multum oleum, mareq; alluit, per  
quod

quod plura aduehunt, quàm quotquot  
quisquam est bona intutus, &c.

*κ' ἀπὸ τῶν μυρμηκῶν ἔργον.*] Plinius lib.  
II. cap. 30. Indicas formicas aurū ex ca-  
uernis egerere adserit.

*αὐτὴν δὲ δὴ τοῦ τῆν χρεῖαν.* Vbi secun-  
dum naturæ modulum uiuere uolueri-  
mus, pauca nobis suffecerint: Sed si iu-  
xta ingluuiē cupiditati indulgere libet,  
neq; terra, neq; mare, neq; cœlum ipsum  
(ut ita dicam) suffecerit. Est enim auri  
sitis & cupiditas immensa & inexplebi-  
lis. Nec ullus (ut ex Solone refert) diui-  
tiarū terminus. At:

*Viuitur exiguo melius, natura beatis*

*Omnibus esse dedit, si quis cognouerit uti.*

*τῶ δὲ θεόγνιδι πρὸς τὰντα.*] Cuius hoc  
carmen est in gnomis elegiacis, quod  
nos obiter ita uertimus:

*Non amo diuitias, nec opes uolo, sed mediocri*

*Quod sat erit uitæ, conueniatq; meæ.*

Quam quidem Theognidis sententiā  
elegāter & copiose explicuisse uidetur,

Tibullus libro primo:

*Diuitias aliās fuluo sibi congerat auro.*

Et teneat culti iugura magna soli.  
 In quo toto carmine nihil agitaliud, q̄  
 ut argumentū à Theognide sumptum  
 pluribus uerbis & amœnioribus figu-  
 ris exornet atq; illustret.

ἐγὼ δὲ καὶ Διογένοῦς.] Eiusmodi quæ-  
 dam in uita Diogenis recēset Laërtius.

τὰ πύθίου τοῦ μυσσοῦ.] Prouerbij speci-  
 em habere uidetur, & illi confine esse,  
 Tantali talenta, Croesi opes, dicitur e-  
 nim utrunq; de immensis opibus. Por-  
 rō meminīt Cicero cuiusdā alterius Py-  
 thij Syracusani, lib. 3. offic.

μηδὲ διὰ κερτῆσθαι μᾶλλον φρονεῖν.] Di-  
 uitijs recte uti non ultima laus est. Sed  
 communiter accidit diuitibus, quod di-  
 xit. Antiphanes, ὁ πλοῦτος ἡμᾶς κατὰ  
 περὶ ἰατρῶν κακὸς τυφλοὺς βλέποντας παρα-  
 λαβὼν πάντας ποίει, nimirū ut eos, quos  
 acceperunt etiā uidentes ceu malus me-  
 dicus excœcent. Est autē de dispositio-  
 ne ac usu diuitiarum nō inelegans epi-  
 gramma Luciani, πλοῦτος ὁ τῆς ψυχῆς, &c.  
 Hoc est,

Diuitias animi solas ego iudico ueras,

Qui rebus pluris se facit ipse suis.

Hunc adeo ditem, hunc opulentum rite uocamus,

Magnarum quis sit qui uidet usus opum.

Calculus at si quem misere numerandus adurit,

Qui misere semper diuitias cumulet

Hic ut apes paruo, crebroq; foramine fosso,

Sudat in alucolo, mel alij comedunt.

τὸ γὰρ τοῦ σωλεράτους ἐρ' ἔχει.] Cōfirmat

exemplo Socratis usum diuitiarū in diuite potius quā ip̄sas diuitias spectandas esse. Vt pximo carmine docuimus.

ἡ φειδίας μὲν καὶ πολὺ κλείει.] Nobiles

comprimis statuarī. De utroq; Plinius memoranda tradit lib. 34. cap. 8.

ὁ χρυσὸς ἡδ' ἰωρὴ τὴ μῶτερος.] Nā in ple-

risq; rebus prestat forma materiæ, ut Ouidius, inquit, Materiā superabat opus.

Et eleganter Caius iuriconsultus in l. Mulieris, ff. de uerb. signif. Plerūq; (ait)

plus est in manus precio, quā in re.

in Caput XVI.

ἀλλὰ δικτὰ πλὸς τοῦ.] Per subiectionē re

spōdet ipse sibi interrogātī, nū ad ostentationē uiuendū sit, quā omnibus mo-

dis cū adulatione uitandā esse monet.

τῆς ἀρχιλόγου ἀλώπεκος.] Alexander  
 Brassicanus uir præter iuris cognitionē,  
 in rectis studijs feliciter quoque uersa-  
 tus, adagium hoc ἀρχιλόγου ἀλώπεκος,  
 in eos dici existimat, qui pro re nata con-  
 silium expeditissime capiunt, quemad-  
 modum (ait) Archilochum in Apolo-  
 gis à se scriptis uulpem ubiq; callidissi-  
 mam introduxisse.

ὥς κέρπασσι ἀνθρώποις.] Gellius pe-  
 regrinum philosophum ait dicere solitum,  
 uirum sapientem nō peccaturum  
 esse, etiamsi peccasse eum Dii atq; homi-  
 nes rati forent, lib. 12. cap. 11. Et Horat.  
 Etiā si totus illabatur orbis impavidum  
 ferient ruina.

τί του ἀιγυπῆσου σοφιστοῦ.] Pythagoram  
 ni fallor, putat. Cuius metempsychosin  
 describit Ouid. lib. 15. Metamorph.

τὸ δίκαιον ἐπαινέσεται.] Iustitia plane  
 uacare atq; carere eos dicit, qui student  
 adulationi, qua peste nihil est in aulis  
 principum nocentius.

ὥσπερ φάσι τὸν πολύποδα. Huic loco  
 apud Plutarchum extat non dissimilis  
 in com

in commentario de discrimine adulatoris & amici, ἐστὶ μὲν οὖν διὰ ταῦτα, δυσφύρατος ὁ ἀνὴρ, ὡς περ τῶν θηρίων ὅσα πεφυκέντα τὴν χροῶν τρέψονται, συναφομοιοῦντα τοῖς ὑποκείμενοις ὑλημασιν ἢ χαρίοις His (inquit) de causis difficillimum est hominē deprehendere, quod quidem accidit & in animantibus, quæ colorem mutare solent, & rebus ac locis subiectis, similia redduntur, cæterum de Polypi mutabilitate, Vide Eras. in prouerbio Polypi mentem habes.

In caput XVII.

τοῖς ἡμετέροις λόγοις.] Quanquam in speciem uidentur esse parui momēti ex tranæ literæ ad felicitatem consequendam, tamen non sunt cōtemnendæ, imō uulgi opinione maiorem utilitatem adferunt, uelut hæcenus docuit Basilius, exemplis multis. Nec frustra Nazanzenus τὸ μικρὸν οὐ μικρὸν, ὅταν ἐκφέρῃ μέγα, haud esse minutū ad magna quod perduxerit. Nec satis intelligunt homines, quanta sit harum artium & dignitas & utilitas.

H 5 ὡς περ

ὡς περ τοῖς μεγάλοις.] Simile est, quo ostendit non esse cōtemnenda, sine quibus magna constare non possint.

τῶ ποιητῆ προσῆκεν.] Hesiodus in primo ἔργων καὶ ἡμερῶν.

Εἰ γὰρ κερ καὶ μικρὸν ἐπὶ μικρὸν καταβείο, καὶ θέμα τῶ ἔρδοις, τάχα κερ μέγα καὶ τὸ γένοιτο.

Tametsi enim (ut inquit Erasmus) singula per se pusilla uideantur, tamen in unum collata aceruū, doctrinæ thesaurum lucro augment.

ὁ μὲν οὐρ βίας.] De hoc uide apud Diogenem Laertium.

ἑφῶδιον ἔφη πρὸς γῆρας.] Præclare dicit scientiam & uirtutem uaticum esse senectutis, ita enim Biantis sententiam explicat, & ad ueram pietatem sectandam traducit.

τιθωνοῦ τις γῆρας.] Abijt in prouerbium senectus Tithoni, quem fabulæ ferunt ad tantam peruenisse ætatem, ut in cicadam denicq; uerti optauerit.

παρ᾽ ἡμῶν μαθουσαῖα.] Hoc est apud eos, qui ueteri instrumento in dubiam fidem



fidē adhibemus, quiq̄ illud uerū agno-  
scimus. Ceterum de Mathusalā uiuacit-  
ate meminit quintum caput *γενεσιως.*

*πάντα λίθον κατὰ τὴν παροιμίαν.]* Omnē  
lapidem mouere prouerbiali figura dici-  
mus pro eo, quod est omnia experiun-  
da, nihilq̄ intentatum relinquendum,  
quò ad ueram illā & sempiternā beatitu-  
dinem perueniamus. Vide apud Eras.

*In Caput XVIII.*

*μηδ' ὅτι χαλεπὰ ταῦτά.]* Verū omni-  
no uerbum est Græcorum, *δίσκολα τὰ  
κάλα,* & labore enitendū esse ad quæcūq̄  
maxima. Tum etiam fiet, si industrij si-  
mus, ut auxilio diuino adiuuemur.

*ἀναμνηθέντας τοῦ παραινέσαντος.]* Ni-  
mirum optimum genus uitæ constitu-  
endum esse, quam deinde iucundā red-  
det consuetudo.

*ἄισχρόν γὰρ τὸν παρόντα καιρόν.]* Pœni-  
tentiā fera est, & uanum uotū præteriti  
temporis temere neglecti. *καιρὸς δ' ἐπὶ  
πάντων ἄριστος,* inquit Hesiodus, itaque  
*γνώτι καιρόν.*

*ἐγὼ μὲν οὖν ἂν κράτιστά.]* Epilogus est,  
quo

quo monet, ut suis præceptis pareant  
nepotes, neque se in instituendo furiosorum  
more, repugnantes præbeant.

ὑμῖν δὲ τριῶν ἀρῶν ἡμῶν.] Ad illud  
respicere uidetur, quod ab initio ex He-  
siodo dixit. Illum uidelicet penitus esse  
inutilem ac pessimum, qui neque per  
se sapiat, neque alios sapientes  
audiat, ut qui plane

εὐχνοῦμαι, ἢ

ἢ

ἢ

ἢ

## IOANNIS

PICI MIRANDVLAE ORATIO

de homine, in qua sacra &  
 humana philosophia  
 explicantur.



Egi Patres Colēdissimi in  
 Arabum monumentis in-  
 terrogatum Abdalem Sa-  
 racenū, quod in hac quasi  
 mundana scena, admiran-  
 dum maxime spectaretur? Nihil specta-  
 ri homine admirabilius respōdiffe. Cui  
 sententiæ illud Mercurij adstipulatur,  
 Magnum ô Asclepi miraculum est ho-  
 mo. Horum dictorum rationem cogi-  
 tanti mihi non satis illa faciebant, quæ  
 multa de humana naturæ præstantia af-  
 feruntur à multis esse hominem creatu-  
 rarum internuntiū, superis familiarem,  
 regem inferiorum sensuum, perspicacia  
 rationis indagine, intelligentiæ lumine  
 nature interpretem, stabilis xui & fluxi  
 temporis

temporis interstitium, & (quod Perſæ dicunt) mundi copulam, imò hymenæum, ab angelis, teste Dauide, paulo deminutum. Magna hæc quidem, sed non principalia, id est, quæ summæ admirationis priuilegium sibi iure uendent. Cur enim non ipsos angelos & beatissimos cœli choros magis admiremur? Tandem intellexisse mihi sum uisus cur felicissimum proindeq; dignum omni admiratione animal sit homo. Et quæ sit demũ illa conditio quam in uniuersi serie sortitus sit, non brutis modo, sed astris, sed ultra mundanis mentibus inuidiosam. Res supra fidem & mira, Quidni? Nam & propterea magnũ miraculum et admirandũ profecto animal iure homo & dicitur & æstimatur. Sed quænam ea sit audite patres, et benignis auribus p̄ uestra humanitate hanc mihi operam condonate. Iam summus Pater architectus deus, hanc quam uidemus mundanam domũ diuinitatis templum augustissimum archanæ legibus sapientia fabrefecerat. Super cœlestem regionem

hem mentibus decorarat, æthereos globos æternis animis uegetarat, excrementarias ac feculētas inferioris mundi partes omnigena animalium turba completat. Sed opere cōsummato, desiderabat artifex esse aliquem, qui tanti operis rationem perpēderet, pulchritudinē amaret, magnitudinem admiraretur. Idcirco iam rebus omnibus (ut Moses, Timæusq; testantur) absolutis de producendo homine postremo cogitauit. Verum nec erat in architypis unde nouam sobolē effingeret, uel in thesauris, quid nouo filio hæreditariū largiretur, nec in subsellijs totius orbis, ubi uniuersi cōtemplator iste sederet. Iam plena omnia, omnia summis, medijs infimisque ordinibus fuerant distributa. Sed non erat paternæ potestatis in extrema foetura, quasi effœtam defecisse, non erat sapientix, cōsiliij inopiam re necessaria fluctuasse. Non erat benefici amoris, ut qui in alijs esset diuinam libertatem laudaturus, in se illam damnare cogeretur. Statuit tandem optimus opifex, ut cui dari

dari nihil proprium poterat, commune  
 esset quicquid priuatū singulis fuerat.  
 Igitur hominē accepit indiscretæ opus  
 imaginis, atq; in mundi positum medi-  
 tullio, sic est allocutus: Nec certam se-  
 dem, nec propriam faciem, nec munus  
 ullum peculiare tibi dedimus o Adam,  
 ut quā sedem quā faciem, quæ mu-  
 nera tute optaueris ea pro uoto pro tua  
 sententia habeas & possideas. Definita  
 cæteris natura intra præscriptas à nobis  
 leges coërcetur: Tu nullis angustijs  
 coërcitus, pro tuo arbitrio, in cuius ma-  
 nu deposuit, ibi illā præfinies, Medium  
 te mundi posui, ut circumspiceres inde  
 cōmodius quicquid est in mundo. Nec  
 te coelestē, neq; terrenū, neq; mortalem,  
 neq; immortalem fecimus, ut tu ipsius  
 quasi arbitrarius honorariusq; plastes  
 & uictor, in quam malueris tute formā  
 effingas. Poteris in inferiora quæ sunt  
 bruta degenerare. Poteris in superiora  
 quæ sunt diuina ex tui animi sentētia re-  
 generari. O summam dei patris liberali-  
 tatem, summam & admirandam homi-  
 nis

nis felicitatē, cui datum id habere quod optat, id esse quod uelit, bruta simul atq; nascuntur id secum afferunt (ut ait Lucilius) è bulga matris, quod possessura sunt. Supremi spiritus aut ab initio, aut paulo mox id fuerunt, quod sunt futuri in perpetuas æternitates. Nascenti homini omnifaria semina, & omnigenæ uitæ germina indidit pater. Quæ quisq; excoluerit illa adolescēt, & fructus suos ferent in illo. Si uegetalia planta fiet. Si sensualia obrutescet. Si rationalia cœlestē euadet animal. Si intellectualia angelus erit & dei filius, & si nulla creaturarum sorte cōtentus in unitatis centrum suæ se receperit, unus cum deo spiritus factus in solitaria patris caligine, qui est super omnia cōstitutus, omnibus antestabit. Quis hunc nostrum chamaeleonem non admiretur? aut omnino quis aliud quicquam admiretur magis? Quem non immerito Asclepius Atheniensis uersipellis huius & seipsam transformantis naturæ argumento per Protheum in mysterijs significari dixit: hinc ille

I apud

apud Hebræos & Pythagoricos metamorphoses celebratæ, nam & hebræorū theologia secretior, nunc Enoch sanctum in angelum diuinitatis, quē nunc in alia alios nomina reformant, & Pythagorici scelestos homines in bruta deformant, & si Empedocli creditur etiam in plantas. Quas imitatus Maometh illud frequens habebat in ore, qui à diuina lege recesserit brutū euadere, & merito quidem. Neq; enim plantam cortex, sed stupida & nihil sentiēs natura, neq; iumenta coriū, sed bruta animæ & sensualis, nec cœlum orbiculatum corpus, sed recta ratio, nec sequestratio corporis, sed spiritalis intelligentia angelū facit. Si quem enim uideris deditum uentri, humi serpentē hominem, frutex est, non homo quē uides, si quem in phantasia quasi calypsus uanis præstigijs cœcutientem & subscalpenti delinitum illecebra sensibus mancipatum, brutum est, non homo quem uides. Si recta philosophum ratione omnia discernētem, hunc ueneris, cœleste est animal nō terrenum



tenum. Si purum contemplatorem corporis nequium, in penetralia mentis relegatum, hic non serenum, non coeleste animal, hic augustius est numē humana carne circumuestitum. Et quis hominem non admiretur: qui non immerito in sacris literis Mosaicis & Christianis nunc omnis carnis, nunc omnis creaturæ appellatione designatur: quando se ipsum ipse in omnis carnis faciem, in omnis creaturæ ingenium effingit, fabricat, & transformat. Idcirco scribit Euan-tes Perſa, ubi Chaldaicam theologiam enarrat, non esse homini suam ullam & nativam imaginem, extrarias multas & adventitias, hinc illud Chaldaeorum: homo uariæ ac multiformis & desolutoria naturæ animal. Sed quorsum hæc ut intelligamus postquā hac nati sumus conditione, ut id simus quod esse uolumus. Curare hoc potissimum debere nos, ut illud quidem in nos nō dicatur, cum in honore essemus non cognouisse, similes factos brutis & iumentis insipientibus. Sed illud potius Asaph prophetae,

dij estis & filij excelsi omnes, ne abuten-  
tes indulgentissima patris liberalitate,  
quam dedit ille liberam optionem, è sa-  
lutari noxiam faciamus nobis. Inuadat  
animum sacra quædam ambitio, ut me-  
diocribus non contenti anhelemus ad  
summa, atq; illa (quando possumus si  
uolumus) cõsequenda totis uiribus eni-  
tamur. Dedignemur terrestria, cõlestia  
contemplamur, & quicquid mundi est  
deniq; posthabentes, ultra mundanam  
cõriam eminentissimæ diuinitati proxi-  
mam aduolemus. Ibi, ut sacra tradunt  
mysteria, Seraphin, Cherubin & Thro-  
ni primas possident, horum nos iam ce-  
dere nescij & secundarum impatientes,  
& dignitatem, & gloriam æmulemur.  
Frimus illis cum uoluerimus nihilo in-  
feriores. Sed qua ratione, aut quid tan-  
dem agentes? uideamus quid illi agant,  
quam uitam uiuant. Eam si & nos uixe-  
rimus (possumus enim) illorũ sortem  
iam æque ferimus. Ardet Seraph chari-  
tatis igne. Fulget Cherub intelligentiæ  
splendore. Stat Thronus iudicij firmi-  
tate.

tate. Igitur si actuosæ addicti uitæ inferi-  
orum curam recto examine susceperimus, thronorum stata soliditate firmabimur. Si ab actionibus feriat, in opificio opificem, in opificio opificium meditantem, in contemplandi ocio negocia bimur, luce cherubica undiq; coruscabimus. Si charitate ipsum opificem solum ardebimus, illius igne qui edax est in seraphicam effigie repente flammabimur, super thronos, id est, iusto iudice sedet deus iudex seculorum. Super cherub, id est, contemplatore uolat, atq; eum quasi incubando fouet. Spiritus enim domini fertur super aquas, has, inquam, quæ super coelos sunt, quæ apud Iob dominum laudant antelucanis hymnis. Qui Saraoh, id est, amator est, in deo est, & deus in eo, imò & deus & ipse unum sunt. Magna thronorū potestas quam iudicando, summa seraphinorum sublimitas, quam amando assequimur. Sed quoniam pacto uel iudicare quisquam, uel amare potest incognita? Amauit Moses deum quē uidit, & administra-

uit iudex in populo, quæ uidit prius cōtemplator in monte. Ergo medius cherub sua luce & saraphico igni nos præparat, & ad thronorum iudicium pariter illuminat: hic est nodus primarum mentium, ordo Palladicus, philosophiæ cōtemplatiuæ præses, hic nobis & emulandus primo & ambiendus atq; adeo comprehendendus est, unde ad amoris rapiamur fastigia, & ad munera actionum bene instructi paratiq; descendamus. At uero operæ præciū si ad exemplar uitæ cherubicæ uita nostra formanda est, quæ illa & qualis sit, quæ actiones, quæ illorum opera præ oculis & innumerato habere. Quod cū nobis per nos qui caro sumus, & quæ humi sunt sapimus, consequi non liceat: adeamus antiquos patres, qui de his rebus utpote sibi domesticis & cognatis, locupletissimam nobis, & certam fidem facere possunt. Consulamus Paulum apostolum uas electionis, quid ipse cum ad tertium sublimatus est cœlum, agentes cherubinoꝝ exercitus uiderit. Respondebit

pondebit utique Dionysio interprete,  
 purgari illos, tum illuminari, postremo  
 perfici. Ergo & nos cherubicam in ter-  
 ris uitam æmulâtes, per moralem scien-  
 tiam affectuum impetus coërcētes, per  
 dialectam rationis caliginem discutiē-  
 tes, quasi ignorantix & uitiorum eluen-  
 tes sordes, animam purgemus, ne aut  
 affectus temere debachentur, aut ratio  
 imprudens quandoq; deliret. Tum be-  
 ne cōpositam ac expiatam animam na-  
 turalis philosophix lumine perfunda-  
 mus, ut postremo diuinarum rerum  
 eam cognitione perficiamus, & ne no-  
 bis nostri sufficiant, consulamus Iacob  
 Patriarcham, cuius imago in sede glo-  
 ria sculpta coruscat. Admonebit nos  
 pater sapientissimus in inferno dormi-  
 ens mundo in superno uigilans. Sed ad-  
 monebit per figurā (ita eis omnia con-  
 tingebat) esse scalas ab imò solo ad cœli  
 summa protensas, multorū graduū se-  
 rie distinctas, fastigio dominū insidere.  
 Contēplatores angelos per eas uicibus

alternātes ascēdere & descēdere. Quod si hoc idem nobis angelicam affectantibus uitam faciendum est, quæso quis domini scalas uel sordidato pede, uel male mundis manibus attinget? Impuro, ut habent myſteria, purum attingere nephas. Sed qui hi pedes? quæ manus? profecto pes animæ illa est portio despicatissima, qua ipsa materiæ tanquã terræ solo innititur, altrix inquam potestas & cibaria, fomes libidinis, & uoluptariæ mollitudinis magistra. Manus animæ cur irascentiam nō dixerimus, quæ appetentiæ propugnatrix pro ea decertat, & sub puluere ac sole prædatrix rapit. Quæ illa sub umbra dormitans heluatur has manus, hos pedes, id est, totam sensualem partem, in qua sedet corporis illecebra, quæ animã abtorto (ut aiunt) detinet collo, ne à scalis tanquam prophani pollutiquē reñciamur morali philosophia quasi uito flumine abluiamus. At nec satis hoc erit, si per iacob scalam discursantibus angelis comites esse uolumus, nisi et à gradu in gradum  
rite

rite promoueri, & à scalarū tramite de-  
 orbitate nusquam, & reciprocos obire  
 excursus, bene apti prius instructiq; fue-  
 rimus. Quod cum per artem sermocio-  
 nalem siue rationariam erimus consecu-  
 ti, iam cherubico spiritu animati per sca-  
 larū, id est, naturæ gradus philosophan-  
 tes à centro ad centrū omnia peruaden-  
 tes, nunc unū quasi Osirim in multitu-  
 dinem uī Titanica discerpētes descēde-  
 mus, nunc multitudinem quasi Osiri-  
 dis membra in unum uī phœbea collē-  
 gentes ascēdemus, donec in sinu patris  
 qui super scalas est tandem quiescentes  
 theologica felicitate consummabimur.  
 Percontemur & iustum Iob qui fœdus  
 inijt cum deo uitæ, priusquam ipse ege-  
 retur in uitā, quid summus deus in de-  
 cem illis centenīs millibus, qui assistunt  
 ei potissimum desideret, pacem utiq; re-  
 spondebit. Iuxta id quod apud eum le-  
 gitur, qui facit pacē in excelsis, & quo-  
 niam supremi ordinis monita medijs  
 ordo inferioribus interpretatur. Inter-  
 pretetur nobis Iob theologi uerba Em-  
 pedocles

pedocles philosophus. Hic duplicem naturam in nostris animis sitam, quarum altera sursum tollimur ad cœlestia, altera deorsum trahimur ad inferna, per litem & amicitiam, siue bellum & pacem, ut sua testantur carmina, nobis significat, in quibus se lite & discordia actum furenti similem, profugum à dijs, in altum iactari conqueritur. Multiplex profecto patres in nobis discordia, grauiā & intestina, domi habemus, & plusquam ciuilia bella, quæ si noluerimus, si illam affectauerimus pacem, quæ in sublime ita nos tollat, ut inter excelsos domini statuamur, sola in nobis compescet prorsus & sedabit philosophia. Moralis primum, si noster homo ab hostibus inducias tantum quæsierit, multiplicis bruti effrenes excursionēs & leonis iurgia, iras animosque contundet. Tum si rectius consulentes nobis perpetuæ pacis securitatem desiderauerimus. Aderit illa & uota nostra liberaliter implebit. Quippe quæ cæsa utraque bestia, quasi icta porca inuiolabile



inviolabile inter carnem & spiritum secundus sanctissime pacis fanciet. Sedabit dialectica rationis turbas inter orationum pugnantias & syllogismo & captiones, anxie tumultuantis. Sedabit naturalis philosophia opinionis lites & dissidia, quae inquietam hincinde animam uexant, distrahunt & lacerant. Sed ita sedabit, ut meminisse nos iubeat esse naturam, iuxta Heraclitum ex bello genitam, ob id ab Homero contentionem uocitatum. Idcirco in ea ueram quietem & solidam pacem se nobis praestare non posse, esse hoc dominae suae, id est, sanctissimae Theologiae munus & priuilegium. Ad illam ipsa uiam monstrabit, & comes ducet, quae procul nos uidens properantes. Venite in clamabit ad me qui laborastis, uenite & ego reficiam uos, uenite ad me, & dabo uobis pacem, quam mundus & natura uobis dare non possunt. Tam blande uocati, tam benigniter inuitati, alatis pedibus quasi terrestres Mercurij, in beatissimae amplexus matris euolantes  
optata

optata pace perfruemur, pace sanctissi-  
ma, indiuidua copula, unanimi amici-  
tia, qua omnes animi in una mente, que  
est super omnem mentem non concor-  
dent adeo, sed ineffabili quodammodo  
unū penitus euadant. Hæc est illa ami-  
citia, quam totius philosophiæ finē esse  
Pythagorici dicūt: Hæc illa pax, quam  
facit deus in excelsis suis, quam angeli  
in terram descendentes annunciarunt  
hominibus bone uolūtatis, ut per eam  
ipsi homines ascendentes in cœlum an-  
geli fierent. Hanc pacē amicis, hanc no-  
stro optemus seculo, optemus unicuique  
domui quam ingredimur, optemus ani-  
mæ nostræ, ut per eam ipsa dei domus  
fiat, ut postquam per mortalē & dialecti-  
cam suas sordes excusserit, multiplici  
philosophia quasi aulico apparatu se ex-  
ornarit, portarum fastigia Theologicis  
fertis coronarit, descendat rex gloriæ, et  
cum patre ueniens mansionem faciat  
apud eam. Quo tanto hospite si se di-  
gnam præstiterit, que est illius immensa  
clementia, deaurato uestitu quasi toga  
nuptiali

nuptiali multiplici scientiarum circumdata uarietate speciosum hospitem, non ut hospitem iam, sed ut sponsum excipiet, à quo ne unquam dissoluatur dissolui cupiet à populo suo, & domū patris sui, imò seipsam oblita, in seipsa cupiet mori, ut uiuat in sponso, in cuius conspectu preciosa profecto mors sanctorum eius, mors inquam illa si dici mors debet, plenitudo uitæ cuius meditacionem esse studium philosophiæ dixerūt sapientes. Citemus & Mosen ipsum à sacrosanctæ & ineffabilis intelligentiæ fontana plenitudine, unde angeli suo nectare inebriantur paulo deminutum. Audiemus uenerandum iudicem nobis in deserta huius corporis solitudine habitantibus leges sic edicentem. Qui polluti adhuc morali indigent, cum plebe habitent extra tabernaculum sub diuo, quasi Thessali sacerdotes interim se expiantes. Qui mores iam composuerunt, in sanctuarium recepti, nondum quidem sacra attractent. Sed prius dialectico famulatu seduli leuitæ philosophiæ

phix sacris ministrēt. Tum ad ea & ipsi  
admissi, nunc superioris dei regix mul-  
ticolorem, id est, sydereum aulicum or-  
natum, nunc cœleste candelabrum se-  
ptem luminibus distinctum, nunc pel-  
licea elementa, in philosophix sacerdo-  
tio contemplantur, ut postremo per  
Theologicę sublimitatis merita in tem-  
pli adita recepti nullo imaginis interce-  
dente uelo diuinitatis gloria perfruan-  
tur. Hæc nobis profecto Moses & im-  
perando admonet, excitat, inhortatur,  
ut per philosophiam ad futuram cœle-  
stem gloriam, dum possumus iter pa-  
remus nobis. Verum enim uero nec  
Mosaica tantum, aut Christiana my-  
steria, sed priscorum quoque Theolo-  
gia harum, de quibus disputaturus ac-  
cessi liberalium artium, & emolumenta  
nobis & dignitatem ostendit. Quid e-  
nim aliud sibi uolunt in Græcorum ar-  
canis obseruati inītiatorū gradus. Qui-  
bus primo per illas quas diximus, qua-  
si februales artes moralē & dialecticam  
purificatis, cōtingebat mysteriorum su-  
sceptio

susceptio. Quæ quid aliud esse potest,  
quàm secretioris per philosophiam na-  
turæ interpretatio? Tum demum ita di-  
spositis illa adueniebat ἐπινοήσια, id est,  
rerum diuinarū per Theologiæ lumen  
inspectio. Quis talibus sacris initiari  
nō appetat? Quis humana omnia post-  
habens, fortunę contemnens bona, cor-  
poris negligens, deorum conuiuia ad-  
huc degens in terris fieri non cupiat, &  
æternitatis nectare madidus mortale a-  
nimal immortalitatis munere donari?  
Quis non Socraticis illis furoribus à  
Platone in Phœdro decantatis, sic affla-  
ri nō uelit, ut alarum pedumq; remigio  
hinc, id est, ex mundo, qui est positus  
in maligno propere aufugiens ad cœle-  
stem Hierusalē concitatissimo cursu fe-  
ratur? Agemur patres, agemur Socratici  
furoribus, qui extra mentem ita nos  
ponant, ut mentem nostram & nos po-  
nant in deo, agemur ab illis utique, si  
quid est in nobis, ipsi prius egerimus,  
nam si & per moralem affectum uires  
ita per debitas cōpetentias ad modulos  
fuerint

fuerint intentæ, ut immota inuicem con-  
sonent cōtinentia, & per dialecticam ra-  
tio ad numerū se progrediendo moue-  
rūt, musarum perciti furore cœlestem ar-  
moniam intimis auribus conbibemus.  
**Tum** musarū dux Bacchus in suis my-  
sterijs, id est, uisibilibus naturæ signis in-  
uisibilia dei philosophantibus nobis o-  
stendens inebriabit nos ab ubertate do-  
mus dei, in qua tota si uti Moses erimus  
fideles. Accedens sacratissima Theolo-  
gia duplici furore nos animabit, Nam  
in illius eminentissimam sublimati spe-  
culā, inde & quæ sunt quæ erunt, quæ-  
que fuerunt insectili metientes æuo, &  
primæuam pulchritudinem suspiciētes,  
illorū Phœbei uates huius alati erimus  
amatores, & ineffabili demū charitate  
quasi cestro perciti, quasi Seraphini ar-  
dentes extra nos positi, numine pleni-  
iam nō ipsi nos, sed illi erimus ipse qui  
fecit nos. Sacra Appollinis nomina, si  
quis eorum significantias & latitantia  
percutetur mysteria satis ostendūt esse  
deum illum, non minus philosophum  
quā

quàm uatem. Quod cum Ammonius  
 satis sit executus, non est cur ego nunc  
 aliter pertractem, sed subeant animum  
 patres tria delphica præcepta oppido  
 his necessaria, qui nō ficti, sed ueri Apol  
 linis, qui illumināt omnem animam ue  
 nientem in hūc mundū, sacrosanctum  
 & augustissimum templum ingressuri  
 sunt, uidebitis nihil aliud illa nos admo  
 nere, quàm ut tripartitem hanc, de qua  
 est præsens disputatio philosophiam tot  
 tis uiribus amplectamur. Illud enim *μη  
 δὲ πᾶσα*, id est, nequid nimis uirtutum  
 omnium normam & regulam per me  
 diocritatis rationē, de qua moralis ait,  
 recte perscribit tum illud *γινῶσι σὲ αὐτόν*,  
 id est, cognosce te ipsum, ad totius natu  
 ræ nos cognitionem, cuius & interstiti  
 um & quasi cynnus natura est homi  
 nis, excitat & inhortatur: qui enim se  
 cognoscit in se omnia cognoscit, ut Zo  
 roaster prius deinde Plato in Alcibiade  
 scripserunt. Postremo hac cognitione  
 per naturalem philosophiam illumina  
 ti, iam deo proximi *εἰ*, id est, es dicen  
 tes

tes Theologia salutatione: uerū Apollinem familiariter, proinde feliciter appellabimus. Consulamus & Pythagoram sapientissimum, ob id præcipue sapientem, quod sapientis se dignum nomine nunquam existimauit. Præcipiet primo ne super modium sedeamus, id est, rationalem partem, qua anima omnia metitur, iudicat et examinat ociosa desidia, ne remittentes amittamus. Sed dialectica exercitatione ac regula, & dirigamus assidue, & excitemus. Tum cauenda in primis duo nobis significabit, ne aut aduersus solem emingamus, aut inter sacrificandū ungues reseceamus. Sed postquam per moralem & superfluentium uoluptatum fluxas eminxerimus appetentias, & unguium præsegmina, quasi aculeos iræ prominentias & animorum aculeos reseceuerimus, tum demum facris, id est, de quibus mentionem fecimus Bacchi mysterijs interesse, et cuius pater ac dux merito sol dicitur nostræ contemplationi uacare incipiamus. Postremo ut gallum nutriamus nos admo-  
nebit



nebit, id est, ut diuinam animæ nostræ partē diuinarum rerū cognitione quasi solido cibo, & cœlesti ambrosia pascamus: hic est gallus cuius aspectum leo, id est, omnis terrena potestas formidat & reueretur: hic ille gallus cui datā esse intelligentiam apud Iob legimus. Hoc gallo canēte aberrans homo respiscit: hic gallus in matutino crepusculo matutinis astris deum laudantibus quotidie commodulatur: hunc gallum moriens, Socrates cum diuinitatem animi sui diuinitati maioris mundi copulaturum se speraret, Aesculapio, id est, animarū medico, iam extra omne morbi discrimen positus, debere se dixit. Recēseamus et Chaldæorum monumenta, uidebimus (si illis creditur) per easdem artes patere uiam mortalibus ad felicitatē. Scribunt interpretes Chaldæi uerbum fuisse Zoaroastris alatum esse animam, cumq; alæ exciderēt ferri illam præceps in corpus, tum illis subcrescentibus ad superos reuolare, percunctantibus eum discipulis, quo pacto alis bene plumatibus uo-

lucres animos fortirentur, irrigetis dixit  
alas aquis uitæ. Iterū sciscitantibus un-  
de has aquas peterent, sic per parabolā  
(qui erat hominis mos) illis respondit:  
quatuor amnibus paradifus dei ablu-  
tur et irrigatur. Indidem uobis salutare  
aquis hauriatis, nomen ei qui ab aq-  
uione, quod rectum denotat, ei qui ab oc-  
casu quod expiatione significat, ei qui  
ab ortu, quod lumen sonat, ei qui à me-  
ridie, quod pietatem interpretari possu-  
mus. Aduertite animum & diligenter  
considerate patres, quid hæc sibi uelint  
Zoroastris dogmata: profecto nihil ali-  
ud nisi ut morali scientia quasi boreali  
undis hibericis oculorum sordes expie-  
mus, dialectica quasi boreali amussi illo-  
rum aciem lineemus ad rectum. Tum  
in naturali cōtemplatione debili adhuc  
ueritatis lumen quasi nascentis solis in-  
cunabula pati assuescamus, ut tandem  
per Theologicam pietatem, & sacratis-  
simum dei cultum quasi cœlestes aquis  
læ meridiantis solis fulgidissimū iubar  
fortiter perferamus. Hæ illæ forsan &  
à David

à David decantata primùm, & ab Augustino explicata latius matutinæ, meridianæ, & uespertinæ cognitiones. Hæc est illa lux meridialis, quæ Seraphinos ad lineam inflamat, & cherubinos pariter illuminat: hæc illa regio quàm uersus semper antiquus pater Abraham proficiscebatur: hic ille locus ubi immūdis spiritibus locum non esse, & Cabalistarum, & Maurorum dogmata tradiderunt. Et si secretiorum aliquid mysteriorum, fas est uel sub ænigmate in publicum proferre: postquā & repens è cœlo casus nostri hominis caput uertiginē dānauit. Et iuxta Hieremiam: Ingressa per fenestras mors, iecur, pectusq; male affecit. Raphaëlem cœlestem medicum aduocemus, qui nos morali & dialectica uti pharmacis salutaribus liberet. Tū ad ualitudinem bonam restitutos iam dei robur Gabriel inhabitabit. Qui nos per naturæ ducens miracula, ubiq; dei uirtutē potestatemq; indicans. Tandem sacerdoti summo Michaëli nos tradet. Qui sub stipendijs philosophiæ emerit

tos, Theologiæ sacerdotio quasi corona præciosi lapidis insignet. Hæc sunt patres colendissimi, quæ me ad philosophiæ studium nõ animarunt modo, sed compulerunt. Quæ dicturus certe non eram, nisi his responderem, qui philosophiæ studium in principibus præsertim uiris, aut his omnino qui mediocri fortuna uiuunt dånare solent. Est enim iam hoc totum philosophari, (quæ est nostræ ætatis infelicitas) in cõtemptum potius & contumeliã, quam in honorem & gloriã. Ita inuasit ferè omnium mentes exitialis hæc & monstrosa persuasio, aut nihil, aut paucis philosophandum. Quasi rerum causas, naturæ uias, uniuersi rationẽ dei consilia, cœlorum terræquẽ mysteria præ oculis, præ manibus exploratissima habere. Nihil sit prorsus, nisi uel gratiam inde aucupari aliquam, uel lucrum, si quis comparare possit: quin eo deuentum est, ut iam (proh dolor) non existimentur sapientes, nisi qui mercenarium faciunt studium sapientiæ, ut sit uidere pudicam Palladem

Palladem, deorum munere inter homi-  
 nes diuersantem, eijci, explodi, exhibita-  
 ri, non habere qui amet, qui faueat, ni-  
 si ipsa quasi prostans & præflorata uir-  
 ginitatis accepta mercedula, male para-  
 tum æs in amatoris arculam referat, que  
 omnia ego non sine summo dolore &  
 indignatione in huius tēporis non prin-  
 cipes, sed philosophos dico, qui ideo  
 non esse philosophandum, & credunt,  
 & prædicant, quod philosophis nulla  
 merces, nulla sint præmia cōstituta, qua  
 si non ostendant ipsi hoc uno nomine  
 se non esse philosophos. Quod cū tota  
 eorum uita sit, uel in quæstu, uel in am-  
 bitione posita ipsam per se ueritatis co-  
 gnitionem non amplectuntur. Dabo  
 hoc mihi & me ipsum hac ex parte lau-  
 dare nihil erubescam, me nūquam alia  
 de causa philosophatum, nisi ut philoso-  
 pharē, nec ex studijs meis, ex meis lucu-  
 brationibus mercedem ullam, aut fru-  
 ctum uel sperasse alium, uel quæsiisse,  
 quàm animi cultum, & à me semper plu-  
 rimum desiderata ueritatis cognitionē.

Cuius ita cupidus semper & amantissimus fui, ut relicta omni priuatarum & publicarum rerum cura, contemplandi ocio totum me tradiderim; à quo nullæ inuidorum obtreccionēs, nulla hostium sapientiæ maledicta, uel potuerunt ante hac, uel in posterum me deterrere poterunt. Docuit me ipsa philosophia à propria potius conscientia quàm ab externis pendere iudicijs. Cogitare quæ semper non tam ne male audiam, quàm ne quid male uel dicam ipse uel agam. Equidem non eram nescius patres colendissimi futuram hanc ipsam meam disputationem, tam uobis omnibus qui bonis artibus fauetis, & augustissima uestra præsentia illam honestare uoluistis, gratam atque iocundam, quàm multis alijs grauem atque molestam, & scio non deesse qui inceptum meum & damnarint antehac, & in præsentia multis nominibus damnent. Ita consueuerunt non pauciores ne dicam plures habere oblatratorem, quæ bene sancteque aguntur ad uirtutem, quàm quæ inique & perperam ad uirtutum

uitium. Sunt autem qui totum hoc disputandi genus, & hanc de literis publice disceptandi institutionem non approbent, ad pompam potius ingenij & doctrinae ostentationem, quam ad comparandam eruditionem esse illam asseuerantes. Sunt qui hoc quidem exercitationis genus non improbent, sed in me nullo modo probent, quod ego hac aetate, quartum scilicet & uigesimum modo natus annum de sublimibus Christianae Theologiae mysterijs, de altissimis philosophiae locis, de incognitis disciplinis in celebratissima urbe, in amplissimo doctissimorum hominum consensu, in apostolico senatu disputationem proponere sim ausus. Alij hoc mihi dantes, quod disputem, id dare nolunt, quod de non gētis disputem questionibus. Tam superflue & ambitiose, quam supra vires id factum calumniātes: horum ego obiectamētis, et manus illico dedissem, si ita quam profiteor philosophia me edocuisset, & nūc illa ita me docēte non responderem, si rixandi, iurgandiq; pro

posito cōstitutam, hanc inter nos disceptationem crederem. Quare obtrectandi omne lacescendiq; propositū, & quē scribit Plato à diuino semper abesse choiro, à nostris quoque mentibus facessat lior: & an disputandū à me, an de tot etiam quæstionibus amice incognoscamus, primum quidē ad eos, qui hunc publice disputandi morem calumniantur, multa non sum dicturus, quando hæc culpa, si culpa censetur, non solum uobis omnibus doctores excellentissimi, qui sapius hoc munere nō sine summa & laude, & gloria functi estis, sed Platoni, sed Aristoteli, sed probatissimis omnium ætatum philosophis mecum est communis, quibus erat certissimum nihil ad consequendam, quàm quærebant ueritatis cognitionē sibi esse potius, quàm ut essent in disputandi exercitatione frequentissimi. Sicut enim per gymnasticam corporis uires firmiores fiunt, ita dubio procul in hac quasi litteraria palæstra animi uires & fortiores longe, & uegetiores euadunt. Nec crediderim



crediderim ego, aut Poëtas aliud per de  
cātata Palladis arma, aut Hebræos cum  
ferrum sapientum symbolum esse di-  
cunt, significasse nobis, quam honestis-  
sima hoc genus certamina adipiscendæ  
sapientiæ oppido quàm necessaria.

Quo forte fit, ut & Chaldæi in eius ge-  
nesi, qui philosophus sit futurus illud  
desiderent, ut Mars Mercurium trique-  
tro aspectu conspiciat, quasi si hos con-  
gressus hæc bella substulerit, somnicu-  
losa & dormitans futura sit omnis phi-  
losophia. At uero cum his qui me huic  
provinciæ imparem dicunt, difficilior est  
mihi ratio defensionis. Nam si parē me  
dixero forsitan immodesti, & de se ni-  
mia sentientis, si imparem fatebor, teme-  
rarij, & inconsulti notam uideor subi-  
turus. Videte quas incidi angustias,  
quo loco sim constitutus, dum nō pos-  
sum sine culpa de me promittere, quod  
non possum mox sine culpa non præ-  
stare. Forte & illud Iob afferre pos-  
sem, spiritum esse in omnibus, & cum  
Timotheo

Timotheo audite, nemo cōtemnat adoleſcentiam tuam, ſed ex mea uerius hoc conſcientia dixero, nihil eſſe in nobis magnum uel ſingulare. Studioſum me forte & cupidum bonarum artium non inficiatus, docti tamen nomē mihi nec ſumo nec arrogo. Quare & quod tam grande humeris onus impoſuerim, nō fuit propterea, quod mihi conſcius noſtra infirmitatis nō eſſem, ſed quod ſciebam hoc genus pugnis, id eſt, literarijs eſſe peculiare, quod in eis lucrū eſt uinci. Quo fit, ut imbecillimus quiſq; non detractare modo, ſed appetere ultro eas iure poſſit & debeat. Quando quidem qui ſuccumbit beneficium à uictore accipit nō iniuriam; quippe qui per eum & locupletior domum, id eſt, doctior, & ad futuras pugnas redit inſtructior. Hac ſpe animatus ego infirmus miles cum fortiffimis omniū ſtrenuiſſimiſq; tam grauem pugnā decernere nihil ſum ueritus. Quod tamē temere ſit factum, nec ne rectius utiq; de euentu pugnae, quàm de noſtra ætate poteſt quis iudicare

care, restat ut tertio loco his respōdeam  
 qui numerosa propositarū rerum multi-  
 tudine offenduntur, quasi hoc eorum  
 humeris sederet onus, & non potius hic  
 mihi soli quantuscunq; est labor esset  
 exanclandus. Indecens profecto hoc et  
 morosum nimis uelle alienæ industriæ  
 modum ponere. Et ut, inquit, Cicero  
 in ea re, quæ eo melior maior, mediocri-  
 tatem desyderare. Omnino tam grandi-  
 bus ausis erat necesse, me uel succumbe-  
 re uel satisfacere. Si satisfacerem non uide-  
 o, cur quod in decem præstare quæsti-  
 onibus est laudabile, in nōgentis etiam  
 præstitisse culpabile existimetur. Si suc-  
 cumberem habebunt ipsi, si me oderūt  
 unde accusarent: si amant unde excu-  
 sent. Quoniam in re tam graui, tam ma-  
 gna, tenui ingenio, exiguaq; doctrina,  
 adolescentem hominem defecisse uenia  
 potius dignum erit, quàm accusatione.  
 Quin & iuxta Poëtam, si deficiunt ui-  
 res, audacia certe laus erit in magnis, &  
 uoluisse sat est. Quod si nostra ætate  
 multi Gorgiam Leontinum imitati, nō  
 modo

modo de nongentis , sed de omnibus etiam omnium artium quæstionibus soliti sunt, non sine laude proponere disputationem, cur mihi non liceat, uel sine culpa de multis quidem, sed tamen certis & determinatis disputare? At superfluum inquirunt, hoc & ambitiosum. Ego uero nõ superfluo modo, sed necessario factum hoc à me contendo, quod & si ipsi mecum philosophandi rationem considerarent, inuiti etiam fateantur planè necesse est. Qui enim se cuiuspiam ex philosophorum familijs ad dixerunt, Thomæ uidelicet aut Scoto, qui nunc plurimum in manibus fauentes, possunt illi quidem, uel in paucarum quæstionum discussione suæ doctrinæ periculum facere. At ego ita me institui, ut in nullius uerba iuratus, me per omnes philosophiæ magistros fundere, omnes schedas excuterem, omnes familias agnoscerem. Quare cum mihi de illis omnibus esset dicendum, ne si priuati dogmatis defensor, reliqua posthabuissem illi uiderer obstrictus.

Non

Non potuerunt etiam si pauca de singulis proponerentur, non esse plurima, quae simul de omnibus affererentur. Nec id in me quisquam damnet, quod me quocumque ferat tempestas deferat hospes. Fuit enim cum ab antiquis omnibus hoc obseruatum, ut omne scriptorum genus euoluentes, nullas quas possent commentationes illectas praeterirent. Tum maxime ab Aristotele qui eam ob causam *ἀνορύσσους*, id est, lector à Platone nuncupabatur, & profecto angustae est mentis intra unam se porticum, aut academiam continuisse. Nec potest ex omnibus sibi recte propriam selegisse, qui omnes prius familiariter non agnouerit. Adde quod in una quaque familia est aliquid insigne, quod non sit ei commune cum ceteris. Atque ut à nostris ad quos postremo philosophia peruenit nunc exordiar. Est in Ioanne Scotto uegetum quiddam, atque discussum. In Thoma solidum & æquabile. In Aegidio tersum & exactum. In Francisco acre & acutum. In Alberto priscum amplum

amplum & grande. In Henrico, ut mihi uisum est semper sublime & uenerandum. Est apud Arabes in Auerroë firmissimum & inconcussum. In Auempace. In Alpharabio graue & meditatum. In Auicenna diuinum atq; Platonicum. Est apud Græcos in uniuersum quidē nitida in primis & casta philosophia. Apud Simplicium locuples et copiosa. Apud Themistium elegans & compendiaria. Apud Alexandrum constans & docta. Apud Theophrastum grauiter elaborata. Apud Ammonium enodis & gratiosa. Et si ad Platonicos te cōuerteris, ut paucos percenseam. In Porphyrio rerum copia & multijuga religione delectaberis. In Iamblico secretiorē philosophiam, & Barbarum mysteria ueneraberis. In Plotino primū quicquam non est quod admireris, qui se undique præbet admirandum, quem de diuinis diuine, de humanis longe supra hominē docta sermonis obliquitate loquentes sudantes Platonici uix intelligunt. Præterea magis nouitios Proculū Asiatica

tica fertilitate luxuriantem, & qui ab eo fluxerunt, Damascū, Olympiodorum & complures alios, in quibus omnibus illud τὸ θεῖον, id est, diuinum peculiare Platoniorū symbolum elucet semper: Accedit quod si qua est secta, quæ ueritate incessat dogmata & bonas causas, in genij calumnia ludificetur, ea ueritatē firmat, nō infirmat, & uelut motu quas fatam flammam excitat non extinguit. Hac ego ratione motus, non unius modo ( ut quibusdam placebat ) sed omnigenæ doctrinæ placida in medium afferre uolui, ut hac complurium sectarum collatione, ac multifariæ discussione philosophiæ, ille ueritatis fulgor, cuius Plato meminit in epistolis, animis nostris quasi sol oriens ex alto clarius illucesceret. Quid erat si latinorum tantum, Alberti scilicet, Thomæ, Scoti, Aegidij, Francisci, Henriciq; philosophia, obmissis Græcorum, Arabumq; philosophis tractabitur? Quando omnis sapientia à Barbaris ad Græcos, à Græcis ad nos manauit, Ita nostrates semper in

L. philoso

philosophādi ratione, peregrinis inuen-  
tis stare, & aliena excoluisse sibi duxe-  
runt satis. Quid erat cum Peripateti-  
cis egisse de naturalibus, nisi & Plato-  
nicorū accersebatur academia, quorum  
doctrina, & de diuinis semper inter o-  
mnes philosophias (teste Augustino)  
habita est sanctissima, & à me nunc pri-  
mum, quod sciam (uerbo absit inuidia)  
post multa secula sub disputandi exa-  
men est in publicum allata. Quid erat  
& aliorū quotquot erant tractasse opi-  
niones, si quasi ad sapientum symposi-  
um a symboli accedētes, nihil nos quod  
esset nostrum, nostro partum & elabo-  
ratum ingenio, afferebamus. Profecto  
ingenerosum est (ut ait Seneca) sapere  
solum ex commentario, & quasi maio-  
rum inuēta nostræ industriæ, uiam pre-  
cluserint, quasi in nobis effœta sit uis na-  
turæ, nihil ex se parere, quod ueritatem  
si non demonstrat, saltem innuat, uel de  
longinquo. Quod si in agro colonus,  
in uxore maritus odit sterilitatem, certe  
tanto magis infœcūdā animā oderit,  
illi



illi complicita & associata diuina mens,  
quāto inde nobilior lōge proles deside-  
ratur. Propterea nō contētus ego preter  
cōmunes doctrinas, multa de Mercurij  
Trismegisti prisca Theologia, multa de  
Chaldæorū, de Pythagoræ disciplinis,  
multa de secretioribus Hebræorū addi-  
disse mysterijs, plurima quoq; per nos  
inuēta & meditata, de naturalibus & di-  
uinis rebus disputāda, pposuimus. Pro-  
posuimus primo Platonis, Aristotelisq;  
concordiā, à multis ante hac creditam, à  
nemine satis probatā. Boëtius apud La-  
tinos id se facturū pollicitus non inueni-  
tur fecisse unquam, quod semper facere  
uoluit. Simplicius apud Græcos idem  
professus, utinam tam præstaret, quā  
pollicetur. Scribit & Augustinus in A-  
cademicis non defuisse plures, qui sub-  
tilissimis suis disputationibus idem pro-  
bare conati sint, Platonis scilicet & Ari-  
stotelis eandē esse philosophiā. Ioannes  
item grammaticus, cum dicat apud eos  
tantum dissidere Platonem ab Aristotē-  
tele, qui Platonis dicta non intelligunt,

probandum tamē posteris hoc reliquit.  
Addidimus autem & plures locos, in  
quibus Scoti & Thomæ plures, In qui-  
bus Auerrois & Auicennæ sententiās,  
quæ discordes existimantur, concordēs  
esse nos asseueramus. Secūdo loco quæ  
in philosophia cum Aristotelica, tum  
Platonica excogitauimus nos, tum duo  
& septuaginta noua dogmata physica  
collocauimus, quæ si quis teneat, pote-  
rit (nisi fallor) quod mihi erit mox ma-  
nifestum, quamcunq; de rebus natura-  
libus diuinisq; propositam quæstionem  
longe alia dissoluere ratione, quam per  
eam edoceamur, quæ & legitur in scho-  
lis, & ab huius æui doctoribus colitur  
philosophia. Nec tam admirari quis  
debet, patres, me in primis annis, in te-  
nera ætate, per quā uix licuit (ut iactant  
quidam) aliorum legere commentatio-  
nes, nouam afferre uelle philosophiam,  
quam uel laudare illā si defenditur, uel  
damnare si reprobatur, & deniq; cum  
nostra inuenta hæc, nostrasq; sint literas  
iudicaturi, non autoris annos, sed illo-  
rum

rum merita potius uel demerita numerare. Est autē & præter illam, alia quàm nos attulimus, noua per numeros philosophandi institutio antiqua: illa quidem & à priscis Theologis, à Pythagora præsertim, ab Aglaopheno, Aphilo-  
lao, à Platone, prioribusq; Platoniciis obseruata. Sed quæ hac tempestate, ut præclara alia posteriorum incuria exoletit, ut uix uestigia ipsius ulla reperiantur. Scribit Plato in Epimonide, inter omnes liberales artes & scientias contemplatrices præcipuam, maximeq; diuinam esse scientiã numerandi. Quærens item cur homo animal sapientissimum? Respondet: quia numerare nouit. Cuius sententiæ & Aristoteles meminit in Problematis. Scribit Albumasar uerbū fuisse Auēzoar Babylonij, eum omnia nosse, qui nouerat numerare. Quæ uera esse nullo modo possunt, si per numerandi artem, eam artem intellexerunt, cuius nūc mercatores in primis sunt peritissimi, quod & Plato testatur, exerta nos admonens uoce,

arithmetica mercatoriã esse arithmetica intelligamus. Illam ergo arithmetica, quæ ita extollitur, cum mihi uidear, post multas lucubrationes exploratam habere huiusce rei periculum facturus, ad quatuor & septuaginta questiones, quæ inter physicas & diuinas principales existimantur, responsurũ per numeros publice me sum pollicitus. Proposimus et magica theoremata, in quibus duplicem esse magiam significauimus, quarum altera dæmonũ tota opere & autoritate cõstat res mediũs fidius execranda, & portentosa. Altera nihil est aliud cũ bene exploratur, quàm naturalis philosophiæ absoluta cõsummatio. Vtriusq; cum meminerint Græci illam magiæ nullo modo nomine dignantes *γῶσις* nuncupant. Hanc, propria peculiarique appellatione *μαγεία* quasi perfectam, summamq; sapientiam uocant. Idẽ enim, ut ait Porphyrius Persarum lingua magus sonat, quod apud nos diuinorum interpretis & cultoris. Magna autem, imò maxima patres inter has artes disparilitas

disparilitas & dissimilitudo. Illam non modo Christiana religio, sed omnes leges, omnis bene instituta respub. damnat & execrat, hanc omnes sapientes, omnes cœlestium & diuinarum rerum studiosę nationes approbant & amplectuntur. Illa artiũ fraudulētissima, hæc altior sanctorę philosophia, illa irrita & uana, hæc firma fideles & solida. Illā quisquis coluit semper dissimulauit; quod in autoris esset ignominia & contumeliam. Ex hac summa literarũ claritas, gloriaq; antiquitas, & penè semper petita. Illius nemo unquã studiosus fuit uir philosophus, & cupidus discēdi bonas artes. Ad hanc Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato discendā nauigauerunt. Hanc prædicarunt reuersi & in arcanis præcipuam habuerunt. Illa ut nullis rationibus, ita nec certis probatur autoribus. Hæc clarissimis quasi parentibus honestata, duos præcipue habet autores, Xamolsem quem imitatus est Abbaris Hyperboreus, & Zoroastrem non quem forte creditis.

sed illum Oromasi filium. Vtriusq; magia quid sit, Platonem si percunctemur, respondit in Alcibiade: Zoroastris magiam non esse aliud, quam diuinorum scientiam, qua filios Persarū reges erudiebant, ut ad exemplar mundanæ rei publicæ, suam ipsi regere rempublicam edocerentur. Respondebit in carmine magiam Xamolside esse animi medicinam, per quam scilicet animo tēperantiam, ut per illā corpori sanitas comparatur: horū uestigijs postea perstiterūt Corandas, Damigeron, Apollonius, Hostanes, & Dardanus. Perstitit Homerus, quem ut omnes alias sapiētias, ita hanc quoq; sub sui Vlyxis erroribus dissimulasse, in poëtica nostra Theologia aliquando probabimus. Perstiterūt Eudoxus & Hermippus. Perstiterunt ferè omnes qui Pythagorica Platonicæq; mysteria sunt perscrutati. Ex iunioribus autem qui eam olfecerint tres reperio, Alchindū Arabem, Rogerium Baconem, & Guilelmum Parisiē. Meminit et Plotinus ubi naturę ministrum esse

esse & non artificem magum demon-  
 strat. Hanc magiam probat asseueratq;  
 uir sapientissimus, alterā ita abhorrens,  
 ut cum ad malorum dæmonū sacra uo-  
 caretur: rectius esse dixerit ad se illos ac-  
 cedere, & merito quidem. Vt enim illa  
 obnoxium mancipatūq; improbis po-  
 testatibus hominem redditū: ita hæc illæ-  
 rum principem & dominū. Illa deniq;  
 nec artis nec scientiæ sibi potest nomen  
 uendicare. Hæc altissimis plena myste-  
 rijs, profundissimā rerum secretissima-  
 rum contemplationem, & demum tot-  
 tius nature cognitionem complectitur.  
 Hæc inter sparsas dei beneficio, & inter  
 seminaras mundo uirtutes, quasi de la-  
 tebris euocans in lucem. Non tam facit  
 miranda, quam facienti naturæ sedula  
 famulatur. Hæc uniuersi consensum,  
 quem significantius Græci *πικάνοσκομα*  
 dicunt, introrsum perscrutatus rimata,  
 & mutuam naturarum cognitionē ha-  
 bens perspectam, natiuas adhibens uni-  
 cuiq; rei & suas illecebras, quæ mago-  
 rum *οίγνις* nominātur, in mundi recessi-

bus, in naturæ gremio, in promptuarijs  
arcanisq; dei latitantia miracula, quasi i-  
psa sit artifex, promit in publicum, & si-  
cut agricola ulmos uitibus, ita magus  
terram cœlo, id est, inferiora superiorũ  
dotibus uirtutibusq; maritat. Quo fit,  
ut quàm illa prodigiosa & noxia, tam  
hæc diuina & salutaris appareat. Ob  
hoc præcipue quod illa hominẽ dei ho-  
stibus mancipans, auocat à deo: hæc in  
eam operum dei admirationem excitat,  
quàm propensa charitas, fides, ac spes,  
certissime cõsequuntur. Neq; enim ad  
religionem, ad dei cultum quicquã pro-  
mouet magis, quàm assidua cõtempla-  
tio mirabiliũ dei, quæ ut per hãc de qua  
agimus naturalẽ magiam bene explora-  
uerimus, in opificis cultũ amoremq; ar-  
dentius animati. Illud canere compelle-  
mur. Pleni sunt cœli, plena est omnis  
terra maiestate glorię tuę. Et hæc satis de  
magia, de qua hæc diximus, quod scio  
esse plures, qui sicut canes ignotos sem-  
per adlatrant, ita & ipsi sæpe damnant,  
oderuntq; quæ intelligunt. Venio nunc  
ad ea



ad ea, quæ ex antiquis Hebræorum mysterijs eruta, ad sacrosanctam & catholicam fidem cōfirmendam attuli, quæ ne forte ab his quibus sint ignota cōmentitiæ nugæ, aut fabulæ circunlatorū existimentur, uolo intelligant omnes, quæ & qualia sint, unde petita, quibus & quàm claris autoribus confirmata, & quàm reposita, quàm diuina, quàm nostris hominibus ad propugnandā religionem contra Hebræorū importunas calumnias sint necessaria. Scribunt nō modo celebres Hebræorum doctores, sed ex nostris quoq; Esdras, Hilarius, & Origenes. Moſen non legem modo, quàm quinque exarataq; libris posteris reliquit, sed secretiorem quoque, & ueram legis enarrationem in monte diuinitus accepisse. Præceptum autem ei à deo, ut legem quidem populo publicaret, legis interpretationem ne traderet literis, nec inuulgaret, sed ipse Iesu Naue tantum, tum ille alijs deinceps succedentibus sacerdotum primoribus, magna silentij religione reuelaret. Satis erat  
per

per simplicē historiam nunc dei potētiā, nunc in improbos iram, in bonos clementiam, in omnes iustitiam agnoscere, & per diuina, salutariaq; præcepta ad bene beateq; uiuendū, & cultum ueræ religionis institui. At mysteria secretiora, & sub cortice legis, rudiq; uerborum prætextu latitantia, altissimæ diuinitatis arcana, plebi palām facere, quod erat aliud quam dare sanctū canibus, & inter porcos spargere margaritas. Ergo hæc clām uulgo habere perfectis communicanda, inter quos tantum sapientiam se loqui se ait Paulus, non humani consilij, sed diuini præcepti fuit. Quem mortem antiqui philosophi sanctissime obseruarunt. Pythagoras nihil scripsit nisi pauca quædam, quæ Damæ filix moriens commendauit. Aegyptiorum templis insculptæ sphinges, hoc admocebāt, ut mystica dogmata per ænigmatum nodos à prophana multitudine inuiolata custodirentur. Plato, Dionysius quædam de supremis scribens substantijs, per ænigmata, inquit, dicendum est, ne

est, ne si epistola forte aliorum peruenerit manus, quæ tibi scribimus ab alijs intelligantur. Aristoteles libros Metaphysicæ, in quibus agit de diuinis, æditos esse & nō editos dicebat: quid plura? Iesum Christum uitæ magistrum asserit Origines, multa reuelasse discipulis, quæ illi ne uulgo fierent cōmunia, scribere noluerunt. Quod maxime confirmat Dionysius Areopagita, qui secretiora mysteria à nostræ religiōis autoribus ex animo in animum, sine literis medio intercedente uerbo ait fuisse transfusa, hoc eodem penitus modo, cum ex dei præcepto uera illa legis interpretatio Moysi deitus tradita reuelaretur, dicta est Cabala, quod idē est apud Hebræos, quod apud nos receptio. Ob id scilicet, quod illam doctrinam non per literarum monumenta, sed ordinarijs reuelationum successionibus alter ab altero, quasi hæreditario iure reciperet, uerū postquam Hebræi à Babylonica captiuitate restituti per Cyrum, & sub Zorobabel instaurato templo, ad reparandam legem, animum

mum appulerunt. Esdras tunc ecclesie  
 prefectus, post emendatum Moseos li-  
 brum, cum plane cognosceret per exi-  
 lia, cedes, fugas, captiuitatem gentis  
 Israeliticæ institutum à maioribus mo-  
 rem tradendæ per manus doctrinæ ser-  
 uari non posse. Futurumq; ut sibi diui-  
 nitus indulta cœlestis doctrinæ arcana  
 perirent, quorum commentarijs nō in-  
 tercedentibus durare diu memoria non  
 poterat, constituit ut conuocatis qui  
 tunc supererāt, sapiētibus afferret unus-  
 quisq; in medium, quæ de mysterijs le-  
 gis memoriter tenebat, adhibitisq; no-  
 tarijs in septuaginta uolumina. (Tot e-  
 nim ferè in Finedrio sapientes) redige-  
 rentur. Qua de re ne mihi soli credatis  
 patres, audite Esdram ipsum sic loquen-  
 tem. Exactis quadraginta diebus locu-  
 tus est altissimus dicēs: Priora quæ scri-  
 psisti in palàm pone, legant digni & in-  
 digni, nouissimos autē LXX libros con-  
 seruabis, ut tradas eos sapiētibus de po-  
 pulo tuo. In his enim est uena intelle-  
 ctus & sapientia fons, et scientia flumē,  
 atq;

atq; ita feci, Hæc Esdras ad uerbum. Hi sunt libri sciētix Cabalæ in his libris merito Esdras uenā intellectus, id est, ineffabilem de super substāiali deitate Theologiam sapientię fontem, id est, de intelligibilibus angelicisq; formis exactam metaphysicam & scientiæ flumē, id est, de rebus naturalibus firmissimam Philosophiā esse, clara imprimis uoce pronunciauit. Hi libri Sixtus quartus Pontifex maximus, qui hunc sub quo uiuimus feliciter Innocentium octauū proxime antecessit, maxima cura studioq; curauit, ut in publicā fidei nostræ utilitatem latinis literis mādarentur. Iamq; cū decessit tres ex illis peruenerant ad Latinos. Hi libri apud Hebræos hac tēpestate tanta religione coluntur, ut neminē liceat nisi annos quadraginta natū illos attingere. Hos ego libros nō mediocri impensa mihi cum comparassem, summa diligentia indefessis laboribus cum perlegissem, uidi in illis (testis est deus) religionem non tam Mosaicam quàm Christianam. Ibi trinitatis mysterium,  
ibi

ibi uerbi incarnatio, ibi Messie diuinitates, ibi de peccato originali, de illius per Christum expiatione, de cœlesti Hierusalem, de casu dæmonum, de ordinibus angelorum, de purgatorijs, de inferorum pœnis. Eadem legi quæ apud Paulum & Dionysium, apud Hieronymum & Augustinum quotidie legimus. In his uero quæ spectant ad philosophiã, Pythagorã prorsus audias & Platonẽ, quorum decreta ita sunt fidei christianæ affinita, ut Augustinus noster immensas deo gratias agat, quod ad eius manus peruenerint libri Platoniorum. In plenum nulla est ferme de re nobis cum hebræis controuersia, de qua ex libris Cabalistarum ita redargui cõuinciq; non possint, ut ne angulus quidem reliquus sit in quem se condant. Cuius rei testem grauissimũ habeo Antonium Cronicum uirum eruditissimum, qui suis auribus cum apud eum essem in conuiuio audiuit Dactylum hebræum peritũ huius scientiæ in Christianorum prorsus de trinitate sententiam pedibus manibusq;

busq; descēdere. Sed ut ad meæ redeam  
 disputationis capita percensenda. Attu-  
 limus & nostram de interpretādis Or-  
 pheï Zoroastrisq; carminibus sententi-  
 am. Orpheus apud Græcos fermè inte-  
 ger. Zoroaster apud eos mancus, apud  
 Chaldaeos absolutior legiit. Ambo pri-  
 scæ sapientiæ crediti patres & autores.  
 Nam ut taceam de Zoroastre cuius fre-  
 quens apud Platonicos non sine sum-  
 ma semper ueneratione est mentio. Scri-  
 bit Iamblicus Chaldaeus habuisse Py-  
 thagoram Orphicam Theologiã tanq̃  
 exemplar, ad quam ipse suam fingeret  
 formaretq; philosophiam. Quin iccirco  
 tantum dicta Pythagoræ sacra nuncu-  
 pari dicunt, quod ab Orpheï fluxerit in-  
 stitutis: Inde secreta de numeris doctri-  
 na, & quicquid magnum sublimesq; ha-  
 buit Græca philosophia, ut à primo fon-  
 te manauit. Sed (qui erat ueterum mos  
 theologorum) ita Orpheus suorū do-  
 gmatum mysteria fabularū intexit inuo-  
 lucris, & poëtico uelamento dissimula-  
 uit, ut si quis legat illius hymnos, nihil

M subesse

subesse credat præter fabellas nugascq;  
meracissimas, Quod uolui dixisse ut  
cognoscatur quis mihi labor, quæ fue-  
rit difficultas, ex affectatis ænigmatum  
syrpis, ex fabularum latebris latitantes  
eruere secretæ philosophiæ sensus, nul-  
la præsertim in re tam graui, tam abscon-  
dita inexplorataq; adiuto aliorum inter-  
pretum opera & diligentia. Et tamē ob-  
latrarunt canes mei minutula quædã &  
leuia ad numeri ostentationem me ac-  
cumulasse, quasi non omnes quæ ambi-  
guæ maxime controuersaq; sunt quæsti-  
ones, in quibus principales digladian-  
tur academix, quasi non multa attule-  
rim his ipsis qui & mea carpūt, & se cre-  
dunt philosophorum principes, & in-  
cognita prorsus & intentata. Quin ego  
tantū abs sum ab ea culpa, ut curauerim  
in quàm paucissima potui capita coge-  
re disputationem. Quam si (ut consue-  
uerunt aliij) partiri ipse in sua membra  
& lancinare uoluisssem, in innumerum  
profecto numerū excreuisset. Et ut ta-  
ceam de ceteris quis est, qui nesciat unū  
dogma



dogma ex nongentis, quod scilicet de concilianda est Platonis Aristotelisque philosophia, potuisse me citra omnem affectatæ numerositatis suspensionem in sexcenta ne dicam plura capita deduxisse, locos scilicet omnes in quibus dissidere alij conuenire ego illos existimo, particulatim enumerantem. Sed certe (dicam enim quãquam neq; modeste, neq; ex ingenio meo) dicam tamẽ, quia dicere me inuidi cogunt, cogunt obtrectatores. Volui hoc meo congressu fidem facere, nõ tam quod multa scirem, quàm quod scirem quæ multi nesciunt. Quod ut uobis re ipsa patres colendissimi iam palàm fiat, ut desiderium uestrum doctores excellentissimi, quos paratos accinctosq; expectare pugnam non sine magna uoluptate conspicio mea longius oratio non remoretur, quod felix faustumq; sit, quasi ci tante classico, iam conseramus manus.

## EPISTOLA AD IOANNE M.

Franciscum nepotem, qua eum  
ad Euangelium & regnum  
dei à malo hoc secu-  
lo hortatur.



**I**Oannes Picus Mirandula,  
Ioanni Francisco ex fratre  
nepoti S. in eo qui est uera  
salus. Discedēti tibi à me plu-  
rimas statim ad malum oblatas occasio-  
nes quæ te perturbent, & arrepto bene-  
uiuendi proposito aduersentur, non est  
fili quod admireris, sed neq; doleas, aut  
expauescas. Quantū illud potius esset  
miraculum, si tibi unī inter mortales si-  
ne sudore uia pateret ad cœlum, quasi  
nunc primum & fallax mundus, & ma-  
lus demon esse desineret, aut quasi tu in  
carne adhuc non esses quæ concupiscit  
aduersus spiritum, & (nisi salutē nostræ  
uigiles prospexerimus) circeis ebrios  
poculis in prodigiosas brutorum speci-  
es illecebrosa deformat, sed & gauden-  
dum tibi esse affirmat Iacobus scribens:  
gaudete

gaudete fratres cum in tentationes uarias incideritis, nec immerito, quæ enim spes gloriæ, si nulla sit spes uictoriæ: aut uictoriæ locus, quis esse potest ubi pugna non est: uocatur ad coronam qui prouocatur ad pugnam, atq; ad eam præfertim, in qua nemo uinci potest inuitus, neq; alijs nobis, ut uincamus uiribus opus est, quam ut uincere ipsi uelimus. Magna Christiani felicitas, quando & in eius arbitrio posita est uictoria, & omni uincens uoto, omniq; expectatione maiora futura sunt præmia. Dic quæso fili charissime, est ne aliquid in hac uita ex his, quorum libido terrenas agitat mentes, pro quo adipiscendo non multi prius subeundi labores, multa indigna & misera toleranda sint, bene actum secum putat mercator, si post decennem nauigationem, post mille incommoda, mille uite discrimina rem sibi comparauerit paulo uberiorem. De militia seculi nihil est quod ad te scribam, cuius miseria ipsa satis te docuit, & docet experientia. In principum gratia promerenda,

inæqualium amicitijs cōciliandis, in honoribus ambiendis, quæ moles molestiarum, quantum anxietatis, quantum sit sollicitudinis ex te ego discere potius possum quam te docere, qui meis libris meo ocioso contentus, à pueris usq; intra fortunam uiuere didici, & (quãtum possum) apud me habitans nihil extra meipsum suspiro uel ambio. Ergo terrena hæc caduca incerta, uilia, & cū brutis quoq; nobis cōmunia, sudantes etiã & anhelantes uix consequemur, ad cœlestia atq; diuina, quæ nec oculus uidit, neq; auris audiuit, neque cor cogitauit somniculosi & dormiētes & propemodum inuitia dñs trahemur: quasi sine nobis aut deus regnare, aut cœlestes illi ciues beati esse non possint. Profecto si terrena felicitas ociosis nobis compareretur, posset aliquis laborem detrectans malle mundo seruire quàm deo, sed si nihil minus quàm in uia dei imò longe magis in peccatorum uia fatigamur (unde illa uox damnatorum: *Lassati sumus in uia iniquitatis*) non potest

test non extremæ esse dementiæ, ibi nol-  
 le potius laborare, ubi à labore itur ad  
 mercedem, quàm ubi à labore itur ad  
 supplicium. Mitto quanto sit illa pax,  
 quantaq; felicitas animi: Nihil conscire  
 sibi, nulla pallefcere culpa, quæ procul-  
 dubio uoluptatibus omnibus quæ pos-  
 sideri uel optari possint in uita lōge præ-  
 ponderat, quid enim optabile in uolu-  
 ptatibus mundi, quæ dum quæruntur  
 fatigant, cum acquiruntur infatuant,  
 cum amittuntur excruciant. Dubitas  
 filii impiorū mentes perpetuis curis non  
 agitari, uerbum est dei qui nec falli po-  
 test nec fallere, cor impij quasi mare fer-  
 uens, quod quiescere non potest. Nihil  
 enim illis est tutum, nihil pacatū, omnia  
 metum, omnia curas intentant, omnia  
 mortē. His ne igitur inuidebimus: hos  
 æmulabimur: & obliti propriæ dignita-  
 tis, obliti patriæ, patrisq; cœlestis, horum  
 nos ipsi, cū liberi simus nati, ultro man-  
 cipia faciemus, & unā cum illis misere-  
 uiuentes, morientes miserius, miserrī-  
 me tandem eternis ignibus affligamur?

O cœcas hominum mentes, ô pectora  
cœca, quis nō uideat uel luce clarius hæc  
omnia esse ipsa ueritate ueriora, nec ta-  
men facimus quæ facienda esse cogno-  
scimus, sed hæremus adhuc, nec quic-  
quam ceno cupiētes auellere plantam.  
Occurrent tibi filii (ne dubita) in his præ-  
sertim locis, in quibus habitas innume-  
ra singulis horis impedimenta, quæ te  
proposito sancte beneq; uiuendi deter-  
reant, & (nisi caueas) agant in præcep-  
ta. Sed inter omnia exitialis illa est pestis,  
uersari inter eos dies & noctes, quorū  
uita non solum omni ex parte illecebra  
est peccati, sed tota inexpugnanda uir-  
tute posita, sub imperatore diabolo, sub  
uexillis mortis, sub stipendijs gehennæ  
militat aduersus cœlum, aduersus domi-  
num, & aduersus Christū eius. Tu au-  
tem clama cum propheta: dirumpamus  
uincula eorum, & proijciamus a nobis  
iugum ipsorum, hi sunt enim quos tra-  
didit deus in passionem ignominie & re-  
probum sensum, ut faciant ea quæ non  
conueniunt, plenos omni iniquitate,  
plenos

plenos inuidia, homicidijs, cōtentatio-  
 ne, dolo, malignitate, detractores, deo  
 odibiles, contumeliosos, superbos, elat-  
 tos, inuentores malorū, insipientes, in-  
 cōpositos, sine affectione, sine fœdere,  
 sine misericordia. Qui cum iustitiā dei  
 quotidie uideant, nō intelligunt tamen,  
 quoniā qui talia agunt, digni sunt mor-  
 te, non solū qui ea faciunt, sed etiam qui  
 consentiunt facientibus. Tu igitur fili,  
 noli illis placere, quibus ipsa displicet  
 uirtus. Sed illud Apostoli tibi semp sit  
 ante oculos. Oportet deo magis place-  
 re quā hominibus. & illud: Si homi-  
 nibus placerē, Christi seruus nō essem,  
 inuadat te sancta quædā ambitio, & de-  
 digneris eos tibi uitę esse magistros, qui  
 te potius præceptore indigeant, longe  
 enim decentius, ut ipsi tecum bene ui-  
 uendo homines esse incipiant, quā ut  
 tu uelis per omissionem boni propositi  
 cū illis turpiter obrutescere. Tenet me  
 (Deum testor) aliquando extasis quasi  
 et stupor quidam, cum mecum incipio  
 studia hominum aut (ut dixerim signis  
 M 5 ficantius

ficantius) meras insanias, nescio an cogitare potius quàm dolere: mirari an deplorare? Magna enim profecto insania, Euangelio non credere, cuius ueritatem sanguis martyrū clamat, apostoli ex resonant uoces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, dæmones cōfitentur. Sed longe maior insania, si de Euangelij ueritate non dubitas, uiuere tamen quasi de eius falsitate non dubitares. Nam si illa sunt uera, Difficillimū esse diuitem ingredi regnum cœlorum: quid cum uolandis quotidie diuitijs inhiamus, & si illud est uerum: querendā gloriam non quæ ex hominibus, sed quæ ex deo est, cur de iudicijs hominum semper pendemus. Deo placere nemo est qui curet, & si firma in nobis est fides, futurum aliquando, ut dominus dicat: Ite maledicti in ignem æternum, & rursus: uenite benedicti possidere regnum paratum uobis à constitutione mundi, cur nihil minus aut timemus quàm gehennam, aut speramus quàm regnum dei. Quid possumus



possumus aliud dicere quàm multos  
 esse nomine Christianos, sed re paucis-  
 simos. Tu uero fili contende intrare  
 per angustam portam, nec quid multi  
 agant attende, sed quid agendum, ipsa  
 tibi natura lex, ipsa ratio, ipse deus ostē-  
 det. Neq; enim aut minor tua erit glo-  
 ria, si felix eris cum paucis, aut leuior  
 poena, si miser eris cū multis. Erunt au-  
 tem duo præcipue præsentissima tibi re-  
 media aduersus mundum & sathanam,  
 quibus quasi duabus alis de lachryma-  
 rum ualle tolleris in altum, eleemosina  
 scilicet atque oratio, quid enim possu-  
 mus sine auxilio dei? aut quomodo il-  
 le auxiliabitur non inuocatus. Sed &  
 inuocantem te certe non audiet, qui in-  
 uocantem prius pauperem non exau-  
 disti, neq; enim decet, ut te deus hominē  
 non contemnat, qui prius homo homi-  
 nem contēpsisti. Scriptū est in qua men-  
 sura mensi fueritis, remetietur uobis, &  
 alibi: beatī misericordes, quoniam mise-  
 ricordiam consequentur. Cum autem  
 ad orationem inuito, non ad eam inuito  
 quæ

quæ in multiloquio est, sed quæ in secreto mentis recessu, in penetrabilibus animi, ipso affectu, loquitur deo, & in lucidissima contemplationis tenebra mentem patri non præsentat modo, sed unit ineffabilibus quibusdam modis, quos soli norunt experti: nec curo quàm longa sit oratio tua, sed quàm efficax, quàm sit ardens, interrupta potius suspirijs, quàm perpetua, quadã serie dictionũ, numeroq; diffusa, si tua tibi salus est cordi, si tutus à diaboli laqueis à mũdi procellis, ab inimicorũ insidijs, Si deo gratus, si felix tandẽ esse desideras, fac nulla prætereat dies, qua uel semel deũ tuum per orationẽ non adeas, & prostratus ante eum humili piæ mentis affectu illud non de summis labris, sed de imis uisceribus clames cum propheta: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, sed secundum misericordiam tuam memento mei, propter bonitatẽ tuam domine. Sugeret tibi, cum spiritus qui interpellat pro nobis, tum ipsa necessitas singulis horis, quod petas

petas à deo tuo, suggeret & sacra lectio, quam ut omissis iam fabulis nugisq; poetarum semper habeas in manibus etiã atq; etiã rogo. Nihil deo gratius, nihil tibi utilius facere potes, quam si nō cessaueris literas sacras nocturna uersare manu uersare diurna. Latet enim in illis coelestis uis quædã uiua & efficax, quæ legentis animũ ( si modo illas pure humiliterq; tractauerit ) in diuinum amorem mirabili, quadã potestate transformat. Sed epistolæ iam fines excessi, trahente me ipsa materia, & mira quadam charitate, qua te cum semper tum ex ea presertim hora sum prosecutus, qua sanctissimi tui propositi factus sum certior. Illud postremo te admonitũ uelim, ( de quo hic etiam cum mecum eras, tecum saepe locutus sum ) ut duo hæc nũquam obliuiscaris, & filiũ dei pro te esse mortuum, & te quoq; etiã si diu uixeris breui esse moriturum, his quasi geminis stimulis, altero quidem timoris, amoris altero, urge equum tuum per breue stadium momentaneæ uitæ ad præmia felicitatis

tatis æternæ, quando nullū alium finem præfinire nobis, aut debemus, aut possumus, quam ut perpetua utriusque hominis pace infinito bono sine fine fruamur. Vale, & deum time.

REGVLAE IOANNIS PICI MIRAN

dulæ, breuiter complectentes,

quicquid ad Christianam

uitam requiritur.



Prima regula, si homini uideatur dura uia uirtutis, quia continue oportet nos pugnare aduersus carnem & diabolum & mundum. Recordetur quod quamcunq; elegerit uitam etiam secundum mundum, multa illi aduersa, tristia, incommoda, laboriosa patienda sunt.

Secunda regula, recordetur quod in rebus mundi diutius pugnatur, & laboriosius & infructuosius, in quibus labor est finis laboris, & tandem poena æterna.

Tertia regula, recordetur stultū esse, credere

credere ad cœlū posse perueniri nisi per huiusmodi pugnam: sicut & caput nostrum Christus non ascendit in cœlum nisi per crucem: nec debet serui conditio melior esse conditione domini.

Quarta regula, recordetur nō solum esse, & referendam hanc pugnam, sed optandam, etiam si nullum inde nobis præmium perueniat, solū ut conformemur Christo deo & domino nostro, & quotiens resistendo alicui tentationi alicui ex sensibus tuis uim facis cogita cui nam parti crucis Christi conformis reddaris, ut quando gulæ resistēs, gustum affligis, recordare illum felle potatū & aceto. Quando manus retrahis à rapina alicuius rei quæ tibi placet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas. Et si resistis superbix, recordare illum qui cum in forma dei esset pro te formam serui accepisse, & humiliatum usq; ad mortem crucis, & cum de ira tentaris recordare illum qui deus erat, & omnium hominū iustissimus, cum se tamen uideret, quasi latronem & illudi, & conspui, & flagellari

& flagellari, & opprobrijs omnibus affici, et cum latronibus deputari, nullum tamen unquam aut iræ, aut indignationis signum ostendit, sed patientissime omnia ferens, omnibus mansuetissime respondebat, & sic discurrendo per singula, inuenias nullam esse passionē que te Christo aliqua ex parte conformem non efficiat.

Quinta regula, quod in illis duodecim armis, nec in quocunq; alio humano remedio confidas, sed in sola uirtute Iesu Christi, qui dixit: cōfidite ego uici mundum, & alibi: Princeps mundi huius eijcitur foras, quare & nos sola eius uirtute confidamus, & mundum posse uincere, & diabolum superare. Et ideo debemus semper petere eius auxilium per orationem & sanctorum suorum.

Sexta regula, recordare cum unā uicisti tentationem semper aliam esse expectandam, quia diabolus semper circuit quem deuoret: quare oportet semper seruire in timore, et dicere cum propheta: super custodiam meam stabo.

Septima

Septima regula, ut non solū non uincaris à diabolo cum te tentat, sed ut uincas ipsum, & hoc est quando nō solum non peccas, sed ex ea re unde te tentauerat occasionem sumis alicuius boni, ut si opus suum bonum aliquod tibi offert, ut inde in uanam gloriam incidas, tu illud statim non ut opus tuum, sed ut beneficium dei cogitans humilias te & iudicas parum gratum te esse deo de beneficijs eius.

Octaua regula, ut cum pugnas, pugnes quasi uincēdo, deinde perpetuam pacē habiturus, quia forte hoc tibi dabit deus ex gratia sua, & diabolus amplius non redibit cōfusus de tua uictoria, sed cum uicisti, geras te quasi mox pugnaturus, ut in pugna semper uictoria, & in uictoria semper sis memor pugnae.

Nona regula, ut quamuis te sentias undiq; bene munitum & paratum, semper tamen fugias occasiones peccandi, quia ut dicit sapiens: qui amat periculum, peribit in illo.

Decima regula, ut in tentationibus  
**N** semper

semper in principio occurras & allidas  
 paruulos babilonis ad petram, Petra  
 autem est Christus, quia sero medicina  
 paratur.

Vndecima regula, recordare quod  
 licet in ipso conflictu tentationis arma  
 uideatur pugna, tamen longe dulcius  
 est uincere tentationē quam ire ad pec-  
 catū, ad quod te inclināt. Et in hoc mul-  
 ti decipiuntur, quia nō comparant dul-  
 cedinem uictoriæ dulcedini peccati, sed  
 comparant pugnam uoluptati, & tamē  
 homo qui milies expertus est quid sit,  
 cedere tentationi, deberet semel saltem  
 experiri, quid sit uincere tentationem.

Duodecima regula, propterea quod  
 tentaris ne credas te à deo derelictum,  
 aut deo parum gratum esse, aut parum  
 iustum & perfectum, memor sis, quod  
 postquam Paulus uidit diuinam essen-  
 tiam patiebatur tentationem carnis,  
 qua permittebat deus eum tentari, ne  
 de superbia tentaretur. In quo etiam ho-  
 mo debet aduertere, quod Paulus qui  
 erat uas electionis & raptus, usque ad  
 tertium



tertium cœlum, tamen erat in periculo  
 ne de suis uirtutibus superbiret, sicut  
 ipse dicit de se, ne magnitudo reuelatio-  
 num extolleret me, datus est mihi stimu-  
 lus carnis meę qui me colaphizet. Qua-  
 re super omnes tentationes homo de-  
 bet maxime se munire contra tentatio-  
 nem superbix, quia radix omnium ma-  
 lorum superbia est, cōtra quod unicū  
 remedium est, cogitare semper, quod  
 deus se humiliavit pro nobis usque ad  
 crucem, & mors nos uel inuitos  
 eousque nos humiliavit,  
 ut simus esca  
 uermium.

ANNOTATIONES IN  
 PSALMVM XV.



Conserua me domine. ] Si quis  
 perfectus uult recognoscere  
 statū suū, unū habet pericu-  
 lū, ne de sua uirtute superbi-  
 at. Ideo Dauid loquēs in p̄sona iusti de  
 statu, incipit ab hoc uerbo: Cōserua me.  
 Quod recte consideratū omnē amouet

N 2 occasio

occasionē superbiæ, nam qui potest aliquid ex se acquirere, potest & illud ex se sibi conseruare. Qui ergo petit à deo conseruari in statu uirtutis significat per hoc quod nec à principio ipsam uirtutem ex se acquisiuit, qui autem recordatur uirtutem se consecutum, non uirtute propria, sed uirtute dei, non potest de ea superbire, sed magis humiliari coràm deo, iuxta illud Apostoli: Quid habes quod nō accepisti? & si accepisti, quid gloriaris? quasi nō acceperis. Duo sunt ergo uerba, quæ semper habere debemus in ore, alterū scilicet: Miserere mei deus, cum scilicet recordamur peccatorum. Alterum est, Conserua me deus, scilicet cum recordamur uirtutum.

Quoniam speraui in te.] Hæc una res est, quæ facit nos à deo impetrare, quod petimus, cum scilicet nos impetratores speramus. Et si duas has conditiones obseruabimus, ut nunquam petamus à deo, nisi ea quæ nobis sunt salutaria, & ut id quod petimus, ardentè petamus cum firma spe, quod deus nos exaudiat

exaudiat, nunquā erunt irritæ orationes  
 uestræ. Cum igitur nō impetramus, est,  
 aut quod illud nobis est noxium: nesci-  
 mus enim qđ petamus, ut inquit Chri-  
 stus, & Iesus dixit: Quicquid petieritis  
 in nomine meo, dabitur uobis. Hoc e-  
 nim nomē Iesus, saluatorem significat:  
 & ideo nihil petitur in nomine Iesu, ni-  
 si quod est ad salutem ipsi petenti, aut  
 non exaudit, quia si bona petimus, non  
 enim bene petimus, hoc est cum parua  
 spe: qui autem timide sperat, frigide pe-  
 tit. Ideo dicebat Iacobus: postulet autē  
 in fide nihil hæsitans.

Dixi domino deus meus es tu. ] Post  
 quam muniuit se contra superbiam, in-  
 cipit describere statum suum. Totus au-  
 tem status iusti consistit in hoc uerbo:  
 Dixi domino deus meus es tu. Quod  
 uerbū licet uideatur ferē omnibus com-  
 mune, pauci tamen sunt, qui illud pos-  
 sint uere dicere: Illud enim quis habet  
 pro deo quod habet pro summo bono,  
 & illud habemus p̄ summo bono, quo  
 solo habito si cætera desint, putamus

nos esse felices, & quod unum si desit etiam si habeamus, omnia alia bona, putamus nos esse miseros. Dicit igitur avarus pecuniæ: Deus meus es tu, quia etiam si ei desint honor & sanitas, & uirtus, & amici, modo pecuniam habeat contentus est. Et si habeat omnia illa bona quæ diximus, & pecunia desit, putat se esse infelicem. Gulosus item crapulæ, & incontinens libidini, & ambitiosus imperio siue gloriæ dicit: Deus meus es tu. Vide igitur quàm pauci possint dicere: Dixi domino deus meus es tu: quia ille solus hoc potest, cui solus deus sufficit: ita ut si ei proponantur omnia regna mundi & cœlestia omnia, & terrena bona, non tamen ut illa consequatur, uel deum offenderet. In hoc igitur dicto consistit totus status hominis iusti.

Quoniam bonorum meorum non eges. ] Reddit rationem propositi sui, quare scilicet soli domino dicat: Deus meus es tu. Ratio autem quoniam solus deus bonis nostris non eget, nulla enim

enim creatura est, quæ nõ indigeat alijs  
 creaturis quàmuis imperfectioribus, ut  
 probant philosophi & theologi, quia  
 si illæ non essent, ista non essent, quia de  
 structa una parte uniuersi destruitur to  
 tum uniuersum. Destructo autem de  
 struuntur omnes partes, omnes autem  
 creaturæ sunt partes unius uniuersi, cu  
 ius uniuersi ipse deus non pars est, sed  
 principum nihil ab eo dependens, nihil  
 enim acquisiuit deus ex hoc quod cre  
 auit mundum, & nihil perderet si totus  
 mundus annihilaretur. Solus ergo de  
 us bonorum nostrorum non eget. De  
 bemus autem erubescere, illum habere  
 pro deo, qui bonis indiget nostris, qua  
 lis est omnis creatura. Præter ea nõ de  
 bemus habere pro deo, hoc est, pro sum  
 mo bono, nisi illud in quo est summum  
 bonum, in nulla autẽ creatura est omne  
 bonum. Soli igitur domino debemus  
 dicere: Deus meus es tu.

Sanctis qui sunt in terra.] Post de  
 um maxime debemus amare illos, qui  
 sunt deo maxime coniuncti, quales

N 4 sunt

sunt angeli & beati in patria, ideo postquam dixit domino: Deus meus es tu, subdit quod deus

Mirificauit uoluntates suas.] Hoc est, mirabiles fecit amores eius & desideria eius erga sanctos qui sunt in terra eius, hoc est, in cœlesti patria, quæ dicitur terra dei & terra uiuentium, & uerū, si consideremus, quanta sit illius patriæ felicitas, quantaq; huius mūdi miseria, quanta ciuium illorum bonitas & claritas, desiderabimus semper hinc discedere ut illic habitemus. Hęc autē & similia cum meditamur, illud semper curare debemus, ne infructuose sint meditationes nostræ. Sed ex qualibet meditatione aliam quam semper acquirere uirtutem debemus, ut ex hoc uidelicet, de bonitate illius patriæ superioris debemus acquirere uirtutem hanc, ut mortem nō solum fortiter feramus, & patienter cum uenerit hora nostra, aut si pro fide Christi nobis obeunda sit. Sed ultro etiam eam appetamus cupientes, scilicet ex hac ualle miseriarū discedere, ut in illa felici patria  
cum

cum deo & sanctis eius regnemus. Cū ergo iustus descripsit statum suum qui totus est in effectu erga deū & diuina, despiciťq; ex alto statum hominum malorum, & dicit.

**Multiplicate sunt infirmitates eorū.]**  
 Per infirmitates autem intelligit idola, & ita habet textus hebræus, sicut enim bonus unum habet deum quem colit, ita mali multos habent deos & idola: quia multas scilicet uoluptates, multa desideria uana, passiones diuersas quibus seruiunt. Ideo autē multas querunt uoluptates, quia nullam inueniunt que eos quietet: & ideo in circuitu impij ambulat, & subdit postea: acclamauerūt, quia scilicet post sua desideria præcipientes ruunt & inconsiderate, unde edocemur, ut non minus ipsi celeriter curremus ad uirtutes quàm ipsi currant ad uitium, nec domino nostro minus diligēter ipsi seruiamus, quàm ipsi seruiant domino suo diabolo. Iustus autem considerans statum malorum proponit firmiter sicut & nos semper debemus face

**N** s re, nullo

re, nullo modo uelle eos sequi, & dicit:  
 Non congregabo conuenticula eorū  
 de sanguinibus, nec memor ero nominum.] Dicit autem de sanguinibus,  
 tum quia idololatræ solebant collecto  
 sanguine uictimarum circa eum suas  
 agere ceremonias, tum quia tota uita  
 malorum, relicta ratione, sensualitatem  
 sequitur, quæ in sanguine sita est. Dixit  
 autem quod non solum non uult sacri-  
 ficare idolis, sed nec nominare ea, quod  
 tantum dici & fieri potest, ostendēs per  
 hoc, quod non solum homo perfectus  
 debet abstinere ab illicitis uoluptati-  
 bus, sed etiam à licitis, ut magis totus fe-  
 ratur in cœlum, & contemplationi diui-  
 norū purius uacet, & quia aliquis pos-  
 set credere, quod esset stultitia priuare  
 sese omni uoluptate, subdit:

Domini pars hereditatis meæ.]  
 Quasi dicat, non mireris si omnia alia  
 relinquo, ut deum possideam, in quo et-  
 iam alia deniq; bona possidentur. De-  
 bet hæc esse uox cuiuslibet boni Chri-  
 stiani: Domini pars hereditatis meæ,  
 quia



quia nos Christiani quibus deus ipse pro hæreditate promittitur, debemus erubescere aliquid præter ipsum desiderare, & quia posset uideri alicui præsumptio audere hæc sibi promittere, idem subdit:

Tu es qui restituis hæreditatē meam mihi. ] Quasi dicat, domine deus meus bene scio, quod cum nihil sim respectu tui, uiribus meis nō possum ascendere ad te possidendum, sed tu es qui trahes me ad te per gratiā tuam, & tu es qui te ipsum dabis mihi possidendū. Consideret deinde iustus quāta sit hæc felicitas, ut ei deus p hæreditate cōtigerit, subdit:

Funes ceciderunt mihi in præclaris. ] Pars enim & sortes antiquitus per funes diuidebantur, & quoniam multi sunt qui licet ad hanc felicitatem sint uocati, sicut sunt omnes Christiani, ipsam tamen nihil faciunt, utpote pro leui sæpe uoluptate commutant, ideo subdit.

Hæreditas mea præclara est mihi. )  
 Quasi dicat, sicut ipsa est præclara, ita ego eam præclaram reputo, & omnia  
 alia

alia respectu eius, ut dicebat Paulus, sicut stercora reputo, quoniam autem habere hoc lumen intellectus, ut homo cognoscat felicitatem sibi a deo datam donum dei, & ideo subdit.

Benedicam dominum qui tribuit intellectum.] Quoniam autem saepe homo iudicat secundum rationem seruire deo, sensualis autē & caro repugnant, tunc autem homo perfectus est, ut non solum anima eius, sed & caro in deū feruntur, iuxta illud. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum ideo subdit.

Et usq; ad noctem increpuerunt me renes mei.] Id est renes ipsi in quibus maxima solet esse inclinatio ad concupiscentiam, non solum inclinant me ad malum, sed potius increpant, hoc est, retrahunt etiam usq; ad noctem, id est, eos usq; , ut etiam ipsi ultro proprium corpus affligant. Afflictio enim saepe per noctem solet designari, Ostendit deinde, quæ sit radix tantæ priuationis, & dicit:

Prouidebam

Prouidebam deum semper in cōspe-  
ctu meo.] Nam si quis deū semper ha-  
beret ante oculos pro regula omnium  
operationum suarum, et in omnibus o-  
perationibus suis, nec propriam utili-  
tatem, nec gloriam, nec uoluptatē qua-  
reret, sed solum ut deo placeret breui  
perfectus euaderet, & quia qui ita agit,  
semper in omnibus prosperatur, ideo  
dicit:

Ipsē à dextris est mihi ne cōmouear.]  
Ostendit deinde quanta sit felicitas iu-  
sti uiri, quia scilicet erit in æternum felix  
& in anima & in corpore, ideo subdit  
propter hæc.

Lætatum est cor meum.] Id est, ani-  
ma mea læta est sciens post mortem sibi  
cælum esse paratum.

Et caro mea requiescet in spe.] Id  
est, quamuis ipsa non lætetur, quasi ac-  
ceptura statim post mortem statum su-  
um, requiescit tamen in sepultura cum  
hac spe, quod resurget in die iudicij cū  
anima sua immortalis & splēdidissima,  
& hoc totum declarat in sequenti uersi-  
culo

culo, nam quia dixerat quod anima lætabatur, subdit rationem:

Quia nō derelinquet animam in inferno.] Et quia dixerat, quod caro requiescebat in spe. Subdit rationē dicēs:

Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem.] Quia quod fuit corruptibile resurget incorruptibile, & quia Christus fuit primus qui intrauit paradysum, & nobis uitam aperuit, & fuit primus qui resurrexit, & resurrectio eius est causa nostræ resurrectionis. Ideo ista quæ diximus de resurrectione, principaliter de Christo intelliguntur, sicut declarauit Petrus Apostolus, & secundo intelligi possunt de nobis in quantum sumus membra Christi, qui solus non uidit corruptionem, quia corpus eius in sepulchro putrefactum nō fuit. Quoniam igitur uia beneuolendi ducit nos ad perpetuam uitam animæ & corporis. Ideo subdit:

Notas mihi fecisti uias uite.] Et quia tota felicitas huius uitæ consistit in aperta uisione & fruitione dei, Ideo subdit:

Adim

Adimplebis me læticia cum uultu tuo.] Et quia felicitas in æternum durabit. Ideo subdit:

Delectationes in dextera tua usq; in finem.] Dicit autem in dextera tua, quia felicitas nostra completur in uisione & fruitione humanitatis Christi, qui sedet in dextera maiestatis in excelsis, iuxta illud Ioannis: Hæc est tota merces, ut uideamus deum, & quem misisti Iesum Christum.

**F I N I S.**

PHILIPPVS ME  
LANCHTHON.

Ad formanda studia, corrigendaq̄  
iudicia, uix aliud hac epistola leges ac  
commodatius. Proinde iuuenis, ope-  
ram dabis, ut quàm familiarissima tibi  
fiat.

A D LIBELLVM.

Nominibus multis, nec ævovvμ⊙ neq; libelle es.

Inde suum tacuit qui dedit illa tibi.

Agricolam magnum, primo nam lumine cernis.

Postq; suam classem clarus Erasmus habet.

Doctus at inde Philippus habet postrema Melan-  
chthon.

I, nunc Fladrinus uult quoq; adesse comes.

# RODOL-

PHVS AGRICOLA IA=

COBO BARBI=

RIANO S.



SCRIBIS, suauissime Iacobe, atq; optas, dari tibi facultatem degendæ mecum uitæ, quo posses id, quod maxime cupis, uelut ductu auspicijsq; meis, studia tua instituere atque formare. Vellem equidē tantę mihi eruditionis, tam magni in literis doctrinisq; usus conscius essem, ut istud tam iure meritoq; deberes cupere, quā te scio uere id atq; ex animo optare. Hortarer te, ut rebus omnibus relictis, quæcunq; uel utilitatis specie te deuinciunt, uel uoluptatum illecebris blandiuntur, eruditionem studiaq; me duce sequerere: & incisis omnibus, uel abruptis etiam uinculis, quibus alligatus teneris, prona præcipitiq; ad optima tēderes uia. Facerem id non modo tua causa, cuius

O maxime

maxime & deberem & uellem, sed &  
mea quoq; cum sperarem tantum no-  
minis opinionisq; apud multos conse-  
qui posse, tantūq; fuisse me plerisq; per-  
suasurum iri, quantum te monitis, præ-  
ceptioneq; mea factum uiderent, quan-  
tumq; fieri te posse exploratum habeo,  
& de te ingenij uis, amor studiorum, na-  
turæque tuæ felicitas, mihi promittunt,  
Nunc cum ad nullam tantam spem mei  
uocare te possim, quæ ullo incommo-  
do rerum tuarum tibi sit redimenda: re-  
bus ipsis pareamus oportet. Vtiq; opta-  
bile nobis esset, si unum aliquem in lo-  
cum nos felicior casus cōtulisset, sic hoc  
desiderium nostrum est hac commoda  
rerum tuarum conditione leniendum,  
& iucundissima putanda, quæ optima  
sunt. Ut tamē interea præceptoris apud  
te munere fungar, & per literas (qua da-  
tur) ostendam, qua ratione tibi putem  
studia tractanda, paucis, & quantum  
epistolæ capit angustia, quod optimum  
censeo, explicabo. In studijs forman-  
dis duo præcipue spectāda crediderim.

Prius



Prius, quod studiorum maxime ge-  
 nus, cuique lectandum sit. Deinde qua  
 ratione quis in eo, quod elegerit, pluri-  
 mum efficiat, de utroque ordine dicam.  
 Studiorum genus, alteri necessitas uel *Primum*  
 rerum uel naturæ suæ assignat. Alter uo-  
 luntate sua ad id, quod optimum cen-  
 set, sese adiungit. Vt enim cui angustior  
 res familiaris cōtingit, eas ferè sequitur  
 artes, unde promptissimum putat posse  
 se necessitatibus suis præsidium parare.  
 Vt etiam cui segnior natura, obtusior  
 mentis acies est, si modo perdere nolit  
 operam, ea sequi debet, non quæ maxi-  
 me cupit, sed quæ rectissime potest. Sic  
 is, cui facultatum uberior copia, & felici-  
 or ingenij uis tributa est, nimirum er-  
 rabit, si non totis uiribus ad optima fe-  
 retur, quandoque ad summa pertingere  
 possit, malit inter secunda potius ter-  
 tiæ subsistere. Ergo Ciuile ius aliis,  
 aliis Pontificum sanctiones, aliis me-  
 dicinæ artem discendam sumit: plerique  
 etiam loquaces has, et inani strepitu cre-  
 pitantes, quas uulgo artes iam uoca-  
 mus

mus, sibi uindicant, & perplexis disputationum ambagibus, uel etiam (ut uerius dicam) ænigmatibus diem terunt. Quæ tot iam sæculis nullum inuenerunt Oedipodem, qui ea solueret, nec inuentura sunt unquam. His miseras adolescentiũ onerant aures, hæc subinde ingerunt inculcantq̃, et in plerisq̃ meliorẽ ingenij spem atq̃ frugem, in teneribus adhuc annis, uelut in herba enecant. Laudo eas omnes tamen, plus certe laudaturus, si recte ordineq̃ tractarentur. Nec enim tantum desipio, ut solus damnem, quas tam multi laudant. Quid ni laudem uero? quibus uideam multos summas opes, amplissimos honores, autoritarem, famam, dignitatẽ consecutos. Et quas certe uendibiliore (ut Ciceronis uerbo utar) sciam & plane fastear, alijs nonnullis, quas steriles & ieiunas uocant, ut quæ magis animum ex-  
 plere quam arcam. Si lucri rationẽ itaq̃  
 ducis, habes ex illustrioribus illis aliam  
 quam, quã sequaris, ut diues fias: dum  
 tamen scias hanc laudem, ut contingat,  
 ubi

Philoso-  
 phie stu-  
 dendum.

ticum fœneratore fore communẽ. Sin  
 rectius credis, quæ honestæ sunt, pro  
 pter se expetere, & quas habes facul  
 tates, suffecturas putas modestiæ tuæ.  
 Quandoquidem immodestiæ, & quan  
 tumuis parvæ, nimix sunt, & quantum  
 uis magnæ, non sufficiunt, censeo, ut ad  
 Philosophiam te conferas, hoc est, enita  
 ris, ut recte de rebus sentias, & quæ sen  
 tis, commode ut possis eloqui. *Sentire Recte sen*  
 autẽ duplex est, proinde & duplex con *tire est du*  
 ditio rerũ quas inquirimus. Aliæ nanq; *plex.*  
 res ad actiones, moresq; nostros perti- *Morale*  
 nent, quibus omnis ratio uitæ recte, ri  
 tẽq; degendæ continetur, quàm Philo  
 sophiæ pars ea, quæ moralis uocatur, tra  
 dit. Huius prima nobis, & præcipua ha  
 benda est ratio. Hæc autem est petenda  
 tibi non modo à philosophis, qui literis  
 eam tradidẽre, ut sunt Aristoteles, Cice  
 ro, Seneca, & si qui sunt alij, uel latini,  
 uel ita latine redditi, ut digni sint qui le  
 gantur, sed ab historicis etiam, & poëtis  
 & oratoribus. Quoniam ij, & beneficia  
 laudando, & quæ contra facta sunt, ui  
 tuperan

tuperando, non docent quidem, sed (quod efficacissimū est) exemplis propositis, quæ recte secus uē fiant, ostendunt. Per hæc gradus ad Sacras literas faciendus est, & ad illarū præscriptum dirigendus uītæ nobis ordo, saluberrimisq; illis ducibus, de nostra salute credendum. Reliqua omnia aliorum tradita, plus minusue erroris, tamen habent admistum aliquid. Neq; enim contingere potuit eis, ut rectum, & nulla aberrantem parte cursum uītæ instituerent, qui, quis esset uītæ propositus finis, aut nescirent, aut ueluti per nubem spectantes suspicarentur, dicerentq; cōstantius quàm crederēt. At Sacra litera, tam longe ab omni errore remotæ sunt, quàm qui eas tradidit, Deus. Hæ sunt, quæ sola nos certa, solida, rectaq; ducunt uia, quæq; omni discussa caligine, sequentem se non falli, non excidere, non usquàm aberrare patiantur. Sunt & aliæ res, quarum cognitio magis ad ornamentum animi nostri, honestamq; uoluptatem, quàm ad necessariū utiq; usum ptineat.

Cuiusmodi

Cognitio  
rerū natu  
ralium.

Cuiusmodi est omnis disputatio de natura rerum, multiplex certe uariumq; negocium, & multipliciter quoq; à multis summo ingenio uiris tractatū. Quæ ut non necessaria sit ad boni uiri mentem formandam effingendamq;, nō parum tamen contulerit, uel eo, quod ubi hæc cura perquisitioq; rerum bona fide sibi cuiusquā uindicauerit animū, nullū foribus uilibusq; curis locū relinquit, deinde quòd docet cōtemnere atq; pro nihilo putare ea, ad quorū conspectū uulgi stupet: per quorū possessionē etiam eis, qui felices putātur, misereat, quādo ostēdat, quā uanis omnia futilibusq; cōstent causis, dicatq; nullā rerū naturæ posse perniciē cōtingere maiore, quā si omnes eius uel sordidissime partes tales fiant, quales nunc sunt aurum, gemmæq;, quibus publica humani generis infania summū esse preciū uoluit. Postremo, quā quando itelligimus hac mōstrare, fragilis huius caduciq; corporis nostri habitū, omnibus casibus obnoxiiū, discimus, omnē curam nobis ad animā esse

*Anima ex  
colenda.*

transferendam, hancq̄ excolendam, in qua nulla nobis opera frustra, aut peritura locatur, quippe in quam quicquid collatum sit, immortale (sicut ipsa est) æternumq̄ sit mansurum. Transeo multa, necq̄ enim epistola esset, sed uoluminis opus, omnia complecti, quæ in hâc possent sententiam dici. Hoc satis est ostendisse, quod tute minime ignoras, dignam esse studiorum, in qua uiri boni mens elaboret. Nec ego aditum tantum primaq̄ initia harum artium percipere te uelim, quod nunc uulgo in scholis fieri uidemus, quodq̄ tu pridē cum magna laude pulchre, prolixeq̄ praestitisti, sed res ipsas attingēdas censuerim, tam terrarum, marium, montium, fluiorum situs, naturas, gentiūq̄ in his mores, terminos, conditionem, imperia uel accepta uel prolata, tam arborum, herbarumq̄ uires, quas Theophrastus, iam animantium historiam, generationem, partes, quas Aristoteles literis mandauit, perquirendum. Quid dicam, quæ de re rustica tractata sunt, quidq̄ de medicina

*Res ipsa  
tctandæ.*

dicina; alius rem militarem, alius archi-  
 tecturam, alius pingendi, fingendiq; ra-  
 tionem conscripsit, quas artes, tametsi  
 non sum nescius, non intra partem eam  
 disciplinarum claudi, quę rerū naturam  
 scrutatur, tamen quia cognatę sunt illi,  
 & ab eisdē ferē prodeunt fontibus, non  
 est quod nunc in eo magnopere sim so-  
 licitus, quando ad eundem ordinem re-  
 digendas putem. Hęc ergo omnia, quę  
 dixi, & ad mores nostros, & ad rerū na-  
 turam pertinere, ex eis discēda tibi sunt  
 autoribus, qui rebus cognitu dignis cla-  
 rissimum eloquentię lumen addiderūt,  
 ut unā opera & rerum notitiā tibi, &  
 quod post eam proximū feci, commo-  
 de eloquendi ratio cōtingat. Qua qui-  
 dem de re scis multa à summis uiris tra-  
 dita esse pręcepta. Quod tamen ad cor-  
 ruptam institutionem loquendi emen-  
 dandam pertinet, quam pueri in scholis  
 accipimus, huius mihi admonendus ui-  
 deris, fac suspectum tibi sit, quicquid  
 hæcenus didicisti, damnes omnia, atq;  
 abijcienda putes, nisi meliorū autorum  
 O 5 testimo

*Vernacu-  
lus sermo*

testimonio, & uelut decreto, rursus in  
eorum mittaris possessionem. Præterea  
quicquid apud emendatos autores le-  
ges, utilissimū fuerit, id ipsum quā ma-  
xime proprijs & idē significātibus uer-  
bis reddere uernaculo sermone. Hac e-  
nim exercitatione assequeris, ut quoties  
dicendum tibi aliquid scribendū ue fue-  
rit, quando concipiendis uerbis apud  
animum tuum sese, quo natura fert, uer-  
naculus sermo protulerit, statim quoq;  
latina uerba iam pridem illic hoc usu ac-  
cōmodata sequantur. Ad hæc quoq; si  
quid scribere uoles, optimū erit id ipsum  
quā plenissime rectissimeq; patrio ser-  
mone intra animum tuum formare, de-  
inde latinis pure proprieq; id significan-  
tibus explicare. Sic fiet, ut omnia aper-  
te & quam maxime plene dicantur.  
Omnes enim, si quid in dicendo est ui-  
cij facillime in eo perspicimus sermo-  
ne, ad quem sumus nati: & si quid uel  
dilucide parum, uel breuius quā con-  
ueniat, uel contorte nimium, nec satis  
cum re præposita coherens, dictum fue-  
rit



rit, in eo sermone expeditius annotabit  
 quisq; , quem notissimum habebit. Po-  
 stremo ut hunc locum cōcludam, quic-  
 quid eris scripturus, des operā, ut quā  
 purissime id recte tantum, latineq; inter  
 initia eloquaris. Ornate dicendi poste-  
 rior erit cura, quod cōtingere certe, ni-  
 si sana & integra sit oratio, non potest.  
 Euenit enim Eloquentiæ, quod corpo-  
 ri, in quo si nō omnia membra sint suo  
 quodq; loca disposita, si sint à recto ha-  
 bitu detorta, si magnitudinis suæ mo-  
 dum egressa, frustra illi circundederis  
 ornatum. Pugnabit enim cū ornamen-  
 tis suis corpus, & illustriorem deformi-  
 tatem eius decor externus faciet illi com-  
 paratus. Sed de hac parte, quæ tibi stu-  
 dia potissimum sectanda putem hacte-  
 nus. Reliquum est, ut dicam quo pa-  
 cto plurimum in studijs fructus con-  
 secuturum te credo. Alius aliter for-  
 tasse, ego ita sentio. Quisquis in per-  
 cipiendis doctrinis cupiet dignum ali-  
 quem laborum fructum adipisci: illi  
 tria esse præcipue præstanda, ut planè  
 recteq;

Eloquen-  
 tia corpo-  
 ri collata

Secūdum  
 præcipuū  
 in studen-  
 do, tri-  
 plex est,

recteque percipiat, quod discit, ut fideliter, quod percepit, contineat, ut & ex eo aliquid ipse deinde parere, proferreque ualeat. Primum diligentis lectionis est opus: Secundum, fidæ memoriæ: Tertium, assiduae exercitationis. In lectione id conandum in primis est, ut id quod legimus, quam maxime fieri poterit, intelligamus, & penitus habeamus perspectum: nec rem tantum, quæ traditur, sed & uerborum in disertis autoribus uim, proprietatē, structurā, ornatumque perspiciamus: quis decor, quod pondus sententiarum, quæ uis explicandi, & res proferendi uerbis, & uelut in lucem conspectuque protrahendi. Nec tantum istud eò pertinet, ut si uel per se obtusior, uel nobis ignotus occurrerit locus, statim resistendum illic, nec progrediendum ultra putemus, ut (quod non nulli) statim proiciamus librū, damnemusque studia, & ingenium nostrum deploremus. Diligentia enim, non indignatione ad profectum est opus. Transeundū ergo, si quid erit, ubi intellectus non

non possit erui, & in aliud reseruandū  
tempus, donec uel homo, uel liber no-  
bis contingat, qui id aperiat, uel alia le-  
ctio, quod crebrum est, doceat. Dies e-  
nim (quod dicere soleo) diem docet.  
Quod si Quintilianus inter uirtutes  
grammatici numerandum putauit, ali-  
qua nescire, quāto magis nobis, ut non  
dicam necessarium, saltem cum uenia  
erit, nonnulla ignorare? Noli tamen ui-  
deri cuiusquam desidiæ patrociniū me  
his commemorandis parare. Nam con-  
trā uideor mihi nulla re alia cuiusquam  
studium posse uehemētius accendere,  
quā si ostēdam ipsam sibi lectionem  
aperire uiam, & omnem legendi labo-  
rem legendo superari. Proximum est,  
ut memoria firmiter, quod accepit, as-  
seruet. Constat autem memoria in pri-  
mis natura, ea tamen adiuuatur arte,  
quam alij quidē aliter tradidere, sed sic  
tamen, ut summa rerum eodem ferere-  
deat. Eam artem duobus maxime usi-  
bus accommodam arbitror. Aut enim  
subito dicendum est, & maior aliquis  
rerum

*Lectio le-  
ctionem  
adiuuat.*

*Memoria  
fida, quæ  
ad duo  
potissi.  
confert.*

rerum numerus commemorandus, in quo periculum adeundum est, ne ut ordine, uel numero destituamus, ut cū legati apud Principem, aut Senatum aliquem, uel proponimus petita nostra, uel partis aduersæ cogimur respondere postulatis, tunc certe ab hac arte commodissime præsidium petetur. Aut quando exercere memoriã uolumus, id hæc uia facile & quã minima molestia facere licebit, quod sane ad memoriã firmandam utilissimum esse, & Quintilianus autor est, & rei usus si quis experiri uolet, expedite docebit, si quod aliud enim, memoria uel maxima est, quam creber usus auget, quanquã incuria negligentiaque destituit. In ijs uero, quæ perpetuo animo nostro cupimus hære, optimum contenderim esse, quã intensissima cura primum complecti ea: deinde quã creberrime ab animo nostro reposcere, & subinde admonendo eum ad fidem præstandam cogere: postremo, ut animo uacuo, & quantum datur ab aliarum curarum turba ocioso, id agamus

id agamus, quod quidem in actionibus  
 omnibus & negocijs, quicquid id est,  
 quod ulla parte nostri fieri debet, ex-  
 ploratum est, ut nemo pluribus æque  
 sufficere possit. Ingenium certe, id est, *Ingeniū*  
 quod ubi intenderis (ut inquit Salusti-  
 us) ualet, quod ei in multas diducto cu-  
 ras contingere minime potest. Terti- *Exercitas*  
 um est, & quod proposueram postre- *tio assi-*  
 mum, quo pacto ex ijs. quæ discendo *dua.*  
 percepimus, ipsi excudere aliquid pro-  
 ferreque ualeamus, neue studia nostra  
 apud animum segnia, & (ut ita dicam)  
 sterilia reponantur: sed quod semina so-  
 lent in terra condita, fructum aliquem  
 uberiolem cum fœnore profundant.  
 Amplius copiosusque est hic locus, &  
 dignus, qui pluribus diceretur, quemque  
 ego aliquando exactiori cura mihi pu-  
 to dicendum, quando hic præcipuus  
 esse uidetur longi laboris, sollicitudi-  
 nisque in studia collatæ, fructus. Quod  
 si nihil ipsi ad posteros mandare pote-  
 rimus, nihil extra ea, quæ didicimus,  
 ad præsentem proferre, quid tandem in-  
 ter hi

*Liber,* ter librum & nos intererit, nisi qualiter  
 quidem ea, quæ semel in illum cõgesta  
 sunt, bona fide semper seruat, reddiditq;  
 nobis, ut quæ accepimus, continere pos-  
 simus, iteranda sunt toties, et subinde in  
 animum inculcanda. Complectitur sa-  
 ne locus hic duo, quorum, utrunq; per-  
 se quando sit magnum, coniuncta certe  
 plurimum in studijs laudis merentur.  
*Primũ in* Horum alterum est, ut quæ didicimus,  
*promptu* in usum prõpta habeamus, & ubicunq;  
*habenda* res postulat, parata. Plerosq; enim uide-  
*que did-* as, qui quãdo multa didicerint, multorũ  
*cimus.* habeant memoriam, ubi proferendum  
 tamen sit aliquid eorum, nihil succurrat  
 eis, nihil queant meminisse, ad sciunt  
 quidem, sed id ipsum scire se nesciunt.  
*Secundũ* Alterum est ut ex eis, quæ accepimus,  
*est inuen-* ipsi præter hæc inuenire aliqua possi-  
*tio nouo-* mus, & cõficere, quæ nobis asseramus,  
*rum, quæ* nostraq; esse queamus affirmare. Duo  
*duobus* sunt autẽ, quæ præcipue huic parti pro-  
*constat.* futura crediderim. Horum unum est, ut  
*Primo lo-* certa quædam rerum capita habeamus,  
*cis cõmu-* cuiusmodi sunt, uirtus, uicium, uita,  
*nibus,* mors

mors, doctrina, ineruditio, beneuolentia, odium, & reliqua id genus, quorum usus ferè communis ad omnia, & tantùm publicus sit, hæc crebro iteremus, & omnia, quæ didicimus, quantum fieri potest, certe quæcunq; discimus, ad ea redigamus, ut repetendis capitibus illis, ea quoq; quæ ad ea redegimus, repetantur. Sic fiet tãdem, ut omnia, quæ discimus, certa nobis, præsentiaq; & prope sub cõspectu maneant. Poterit autem sæpe uel exemplum unum, uel una sententiã, in multa capita conferri, ut quod, de illata Lucretiã, apud Liuium est, primũ *Lucretiæ exemplũ.* de pudicitia, quanti scilicet ea faciendã sit, cuius damnum Lucretia morte putauit pensandum. Post de pulchritudine quantorum malorum ea sæpe sit causa, quantum etiam pudicitia ab ea periculũ sit. Iam de morte, ut ea mala non sit habenda, quã Lucretia impudicæ uitæ prætulit. Hinc de libidine, quas clades, quæ bella ea mouerit, utq; etiam ingentia mala magnorum sepe bonorũ præbeant causam, quãdo ex eo scelere populo

P Romano

Romano sit libertas quaesita. Sententia  
 itidem diuideſ, ut, est uirtus placitis ab-  
 ſtinuiſſe bonis. Ad uirtutis caput duce-  
 tur, dicit enim, uirtus est placitis bonis  
 abſtinuiſſe. Ducetur ad caput bono, nō  
 omnia bona expetenda eſſe: quoniam  
 placitis bonis abſtinuiſſe est uirtus. Du-  
 cetur ad caput abſtinētiae, quia abſtinu-  
 iſſe placitis bonis, est uirtus. Secūdam,  
*Collatiōe unius ad alterum.* in ijs, quae diſcimus diligenter penſimq;  
 cōferamus uerba inter ſe, & latiori quo-  
 dam tractu explicemus. Sumamus, ex-  
 emplī gratia, quod apud Verg. est: Opti-  
 ma quaeq; dies miſeris mortalibus xui,  
 Prima fugit, Primum, optima inquit,  
 qualia ſunt putanda bona humana quā-  
 do optima ſint, eaq; nedum abeant, ſed  
 fugiant, & ſemper peiorum expectatio-  
 ne torqueant, quae etiam duriora uide-  
 antur neceſſe eſt, ex meliorum, quae pra-  
 ceſſerunt, comparatione. Sequitur dies  
 xui, id eſt, uita noſtra, ea quā parui eſt  
 faciēda, ſi fugax eſt, & optima protinus  
 initio, uelut in flore conlumitur. Quae  
 poteſt



potest autem esse felicitas in uita, quando qui fruuntur eo, mortales nedum, sed & miseri sunt. Hinc iam miseris mortibus, quid ni miseri, quorum talia bona sunt, talis est uita, quicquid morti obnoxij sunt. Postremum est, prima fugit. Prima ergo nondum usu cognita, nulla perfuntione possessa, ut semper que sequitur, quando uis forte per se bona, tamen melioris collatione dura uideatur. Fugit etiam, non dimittitur, non abire iubet, quam fallax ergo, quam incerta, quam nequaquam nostri iuris aut arbitrij est. Quod si quis latius ista, & per omnes locos dialecticos fuderit, quatenus cuiusque natura capax eorum est, ingens utique copia, & ad dicendum, & ad inueniendum se præbebit. Quod quomodo faciendum sit, maius est, quam ut epistola id capiat, & copiose est à me ea de re in sex libris eis, quos de inuentione dialecticæ scripti, disputatum. Quisquis ergo prius id recte, & cum cura tractauerit, præsertim si rationem dialecticæ inuentionis illi adiunxerit, ingens illi, paratissimaque de o-

Vnum  
quodq; p  
locos Di-  
alecticos  
deducen-  
dum.

*sophista.*

mni ferè proposita re differendi facultas continget, modo ea res illa ex parte ad eas pertineat, quas didicit artes. Hocq̃ pacto ueteres illos professores artium, quos Græci sophistas, id est, doctores uocabant, exercuisse deprehēdo, quantum ex Aristotele, & Platone conijcere licet, atq̃ ad eam eruditionem, promptitudinemq̃ dicendi peruenerunt, ut de qua re audire quis uellet, proponi iuberent, dicerentq̃, quandiu, quātumq̃ uideretur de eo, quod esset propositū. Sic Gorgias Leuntinus, primus tam audacis cœpti autor, sic Prodicus Chius, sic Protagoras Abderites, atq̃ Hippias Eleus, & instituit, & alios docuere. Ad id quod secundum feci multum iudicij parabit in ijs, quæ discuntur, & nouas argumentationes, nouasq̃ sententias, aut ueteres, sed quibus noua facies sit, inueniet, estq̃ eiusmodi, ut si stilus ei addatur, statim exercere eloquētiam possit, & ad bene dicendum aditum parare. Sed hæc hæc hactenus, ut pro rerum conditione pauca, ut pro modo epistolæ nimis multa.

Vt enim

Vt enim Demetrio, Phalerio uisum est in libro, quem *περι ἐπιμνησίων*, id est, de explicatione scripsit Epistola, quæ grandior facta est, non tam epistola dici debet, quàm liber, cuius initio sit salus adscripta. Verum id utcunq; æstimari poterit, haud ponã equidẽ in magno discrimine, mihi statutũ est, aliquomodo, quocunq; possum, studia tua iuuare. Quod ipsum, si non potero, ostendere, tamen ut me uoluisse intelligas, quod uoluisse, ut in multis, quæ effectum exigunt, parũ est, ita in amicitia, cui pro effectum est animus, tale est, ut nihil plus exigi, nihil maius præstari possit. Vale Heydelberga, Anno 1484. septimo Idus Iunij.

Similia his lector studiosè, apud eundem Rodolphum uideto, de inuentione Dialectica, libri tertij, capite ultimo, ubi dicit: Hæc ipsa qualiacunq; &c.

## D. ERAS-

MI ROTERODAMI

ratio colligendi ex-  
empla.

VI destinavit per omne ge-  
nus autorū lectione grassa-  
ri (nam id omnino semel  
in uita faciendum ei, qui  
uelit inter eruditos haberi)  
prius sibi quā plurimos parabit locos.  
Eos sumet partim à generibus, ac parti-  
bus uiciorum uirtutumq;, partim ab ijs  
quæ sunt in rebus mortalium præcipua,  
quæq; frequentissime solēt in suadendo  
incidere. Eaq; cōueniet iuxta rationem  
affinitatis & pugnantia digerere. Nam  
& quæ inter se cognata sunt, ultro ad-  
monent, quid consequatur. Et contra-  
riorum eadem est memoria, puta, sit ex-  
empli causa, primus locus, Pietas, & im-  
pietas. Huic subiiciētur species inter se  
Pietas. cognata. Prima est pietas in Deum. Se-  
cunda

eunda in patriam. Tertia in parētes, aut  
 liberos, aut etiā in eos, quos oportet pa-  
 rentum loco colere, ueluti praeceptores,  
 & quorū beneficio seruati sumus. Iam  
 his cognata est superstitio, adijcienda i-  
 gitur. Atq; hic aperit sese campus latissi-  
 mus de prodigijs deorum cultibus, ut  
 uarijs diuersarum gētium ceremonijs.  
 Sit proximus, si uideatur titulus, *Fides. Fides.*  
 Hanc in species seces licebit, de fide in  
 amicos, de fide seruorum in dominos,  
 de fide in hostes, totidemq; de Perfidia.  
 Item sit titulus Beneficentia. Huic cum *Beneficētia*  
 suas species subieceris restat Grati-  
 tudo. Nō illa quidem huic subiecta, neq; rur-  
 sum contraria, sed adhærens, æque ea uelu-  
 ti consequens. Sed uirtutum ac uiciorū  
 ordinem sibi quisq; suo fingat arbitrio,  
 aut è Cicerone, seu Valerio Maximo,  
 aut ex Aristotele, aut ex diuo Thoma,  
 petat. Deniq; si malit elementorum or-  
 dinem sequatur. Neq; enim id magni re-  
 fert. Quanquā nolim illum omnes hu-  
 jus generis particulas tam minutim con-  
 cisas, in ordines referre, uerum eas dun-

taxat, quæ uideantur frequenter in dicendo usu uenire. Id autem uel ex locis causarum licebit cognoscere, nempe de mōstratorijs, suāforijs, & iudicialibus. Quod genus ferme sunt tituli apud Valerium Maximum, & nōnulli apud Plinium. Cæterum quæ extra uiciorum ac uirtutum genera sumuntur, partim pertinet ad exempla, partim ad locos, communes. Priores generis ferme sunt huius modi. Insignis lōgæuitas, uiuida senectus, senilis iuuēta, insignis felicitas, insignis memoria, subita rerum cōmutatio subita mors, mors spōtanea, mors prodigiōsa, partus prodigiōsi, insignis eloquentia, insignis opulentia. Ex humili genere clari, uāfricies ingenij, insigne corporis robur, insignis forma, egregium ingenium in deformi corpore, atq; id genus innumera alia, quorum, singulis oportebit subiicere, quæ cum his purgant, quæq; cum his habent affinitatē, ut insigni eloquentiæ, opponitur, insignis infantia: finitima sunt uocalitas, felicitas in gesticulando histrionica, & si qua

Qua sunt huiusmodi. Posterioris autem  
 generis sunt istiusmodi. Plurimum in-  
 terest, quibus studijs puer assuescas. Ma-  
 gni refert, quibus cum uitas. Suū cuiq;  
 pulchrum. Facilis offensa, reconciliatio  
 difficilis. Tutissimū nulli credere. Ama-  
 tanquā osurus, oderis tanquam amatur-  
 rus. Bis dat, qui cito dat. Fortunam sui  
 cuiq; mores parant. Et lentæ regum iræ.  
 Et periculosa principū amicitia, Et dul-  
 ce inexpertis bellum. Et infida societas  
 regni. Et optimum senectæ uaticum, e-  
 ruditio. Sed quid ego hæc recensere per-  
 go, cum sint sexcēta millia. Ergo ex his  
 ea sunt deligenda, quæ uidebūtur ad di-  
 cendum maxime commoda. Ad hunc  
 gregem pertinent & illa comparatiua:  
 Cœlibatus ne felicior, an cōiugium? ui-  
 ta priuata, an secus? Potior monarchia,  
 an democratia? uita studiosorum, an idi-  
 otarum? Tum autem ex superioribus,  
 si qua sunt, quæ uirtuti, aut uitio uidebū-  
 tur esse cōfinia, ea licebit suo titulo sub-  
 iicere, ut illa, Bis dat, qui cito dat. Et, ni-  
 hil carius constat, quàm quod precibus

emitur. Et beneficium dando accepit,  
 qui digno dedit. Et nihil perit, quā quod  
 confertur in ingratum. Et beneficij gra-  
 tia perdidit quisquis exprobrauit. Hæc  
 atq; huiusmodi ad liberalitatis titulum  
 referri possunt. Verum ne indigesta re-  
 rum turba pariat confusionem, profue-  
 rit titulos qui latius patent in aliquas se-  
 care parteis. Liberalitatis titulum, ut ex-  
 emplī causa loquamur, ita licebit parti-  
 ri, si subieceris: Beneficium prompte ci-  
 toq; datum, Beneficium aptum, benefi-  
 cium digno, aut indigno collatū: Bene-  
 ficium exprobratum: Beneficium mutu-  
 um. Et si qua iudicabuntur magis ido-  
 nea: nam nos indicandi gratia duntaxat  
 hæc ponimus. Ergo posteaquam tibi tu-  
 tos compararis, quot erunt satis, eosq;  
 in ordinem quem uoles digesseris de-  
 inde singulis suas partes subieceris, rur-  
 sum partibus addideris locos commu-  
 nes, siue sententias. Iam quicquid usq;  
 obuiū erit, in ullis autoribus, præcipue  
 si sit insignius, mox suo loco annotabis,  
 siue erit fabula, siue apologus, siue ex-  
 emplum



emplum, siue casus nouus, siue sentētia,  
 siue lepide, aut alioqui mire dictum, siue  
 metaphora, aut parabola. Atq; ad eum  
 modum pariter fiet, ut & altius insideāt  
 animo quæ legeris, & assuescas uti lecti  
 onis opibus. Sunt enim qui plurima te-  
 neant, uelut in mundo reposita, cum in  
 dicendo, scribendoq; mire sint inopes  
 ac nudī. Postremo, utrunq; postulat oc-  
 casio, ad manum erit dicēdi su ppellex,  
 certis ueluti nidis constitutis; unde quæ  
 uoles, petas. Porrò nulla disciplina tam  
 femota est à Rhetorica, unde non facias  
 locos tuos locupletiores. Nam à Mathe-  
 maticis, quæ remotissimæ uidentur, su-  
 muntur similitudines. Quando quidem  
 cum sphaera undiq; sui simili, cunq; tetra-  
 gona, quocunq; cadat pariter quatuor  
 angulis nixo, confertur sapiens suis opi-  
 bus felix nec aliunde pendens, & quæ-  
 cunq; inciderit fortunæ procella, sua uir-  
 tute firmus & immobilis, ut ne dicā inte-  
 rim, quòd Theologi mysteriorum enar-  
 rationem frequenter à Mathematicis pe-  
 tunt, propter arcanam quandam rerum  
 ac nume

ac numerorum analogiam. Nam à Phisicis non solum parabolæ, uerum etiam exempla quædam petuntur. Parabola fuerit si dicas: Quemadmodum fulmẽ summos mōtes frequentissime ferit, ita summa potestas grauissimis casibus est obnoxia. Item, Quẽadmodum fulmen æs liquefacit intacta cera, ita principum animus in rebelles & obsistentes sæuire debet, in cæteros uti clemẽtia. Exempla fuerint elephanti in abdito coẽuntes, si quis etiam in coniugatis modestiam & uoluptatis dissimulationẽ desideret. Et delphini fœtus adultos diutius comitantes, nec sinentes paruulos suos ingredi, nisi grãdior aliquis ceu pædagogus adsit, & custos. Si quis admoneat quanta cura seruari atq; institui debeat à parentibus prima illa & lubrica puerorũ etas. Itaq; studiosus ille uelut apicula diligẽs per omnes autorũ hortos uolitabit. Flosculis omnibus assultabit, undiq; succi nonnihil colligens quod in suum deferat aluearium. Et quoniam tanta est in his rerum fœcunditas, ut omnia decerpi non

pi non possint, certe præcipua deliget, et  
 ad operis sui structuram accommodabit.  
 Sunt autē quæ eadē nō solum ad diuer-  
 sos, uerum ad contrarios usus quadrare  
 possint, eoq; diuersis annotanda locis.  
 Quod genus, si de insanabili cupiditate  
 hominis auari agas, recte accommoda-  
 bis Charybdis fabulā. Rursum si de in-  
 explebili uentris ingluuie, aut libidine  
 mulieris inexhausta, nimirum cōueniet  
 eadem. Item apologos Aesopi de hir-  
 co ac uulpe simul in puteum descenden-  
 tibus, quadrabit uel in prospicientiam,  
 qua fit, ut non aggrediare negociū, nisi  
 prius apud te perpenderit, qua ratione  
 queas explicare. Vel in fictum amicorū  
 genus, qui cum uideantur amici cōmo-  
 dis consulere, maxime tamen agunt su-  
 um negocium. Præterea ex morte So-  
 cratis non solum ducitur exemplū mor-  
 tem non esse formidolosam uiro bono,  
 cum ille tam alacri uultu cicutam bibe-  
 rit, uerum etiam uirtutem inuidiæ obno-  
 xiam neq; satis tutam esse in turba malo-  
 rum. Rursum inutile, uel potius perni-  
 ciosum

ciosum esse Philosophiæ studium, nisi  
 te ad mores cōmunes deflexeris. Iamq̃  
 hoc ipsum factum trahi potest & in lau-  
 dem Socratis, & in uituperiū. Laudan-  
 dus enim, qui nulla sua culpa, sed sola  
 inuidia dānatus, tam fortiter morte ne-  
 glexerit. Vituperandus, qui inutili Phi-  
 losophiæ studio, neglectuq̃ morū com-  
 munium amicis acerbissimum luctum,  
 uxori liberisq̃ calamitatē, sibi exitiū cō-  
 ciliarit, cum alij soleāt utiles esse patriæ,  
 suis præsidio simul & ornamento. Eoq̃  
 uere sapientis esse, relictis aliquando te-  
 tricis illis sapiētix decretis, uulgi studijs  
 & opinionibus accommodare sese, tem-  
 poriq̃ (quod aiunt) seruire. Iam si partes  
 exempli circumspecies, quod locos lice-  
 bit elicere: accusatus per inuidiam ab  
 Anyto et Melyto perditissimis ciuibus  
 locus est: Veritas odium parit. Item ali-  
 ter: Insignis uirtus conciliat inuidiam.  
 Rursum alius: Apud iudices plerunq̃  
 plus ualet nobilitatis ratio, quàm respec-  
 ctus honesti. Rursum alius: Nihil im-  
 prudentius opulentiā, si cum improbis  
 moribus

moribus copuletur. Quid enim absur-  
 dius, quā omni facinore dedecorosos,  
 Socratem in ius uocare? Rursum alius  
 locus: Non quidlibet cuius decorum  
 est, eoꝛꝫ Socrates non abiicit sese ad iudi-  
 cum pedes, neꝫ enim conueniebat, ut  
 qui per omnē uitam docuerit mortem  
 non esse formidandam, nisi turpis esset,  
 eum nunc ueluti ob mortis metum abie-  
 cte supplicem esse. Quę eadem causa cō-  
 mouit, ut neꝫ iudicium declinaret, neꝫ  
 in media causa exilium eligeret, neꝫ po-  
 stremo cum liceret, è carcere uellet effu-  
 gere, ne ipse à seipso discrepare uideret.  
 Atꝫ hæc quidem una pars est. Deinde  
 cum moriturus, tam ociose, tanꝫ placide  
 disputat, cum nō alio uultu cicutam  
 bibit, quam quo uinum solet, cum mox  
 moriturus iocatur in Phædonem, ad-  
 monens, ut Gallum persoluat Aescula-  
 pio. Locus est: Mortem etiam optabilē  
 esse his, qui sibi uitæ integre actæ conscij  
 sunt. Rursum alter locus. Cuiusmodi fue-  
 rit hominis uita, id in morte potissimū  
 apparere. Rursum: Cōstantis, suiꝫ per-  
 petuo

petuo similis exemplum est. Etenim cuiusmodi fuerat in omni uita Socratis uultus oratioq; , talis erat etiam morituro. Tertia pars est: Dum in carcere agit Socrates, interim nusquam Alcibiades, nusquam Agathon, nusquam Phædrus, sed Crito, Phædon, Simias. Atque hic locus est, In periculis demum apparere qui sint puri amici, nam uulgares illi sibi tum cōsulunt, quum in officijs cōmunibus adsunt. Quarta pars est: Cum amicis de animæ immortalitate multa disputat, uxorem ac liberos cum pauca mandasset, dimittit. Locus est, Philosophum leuiter tāgi oportere uulgaribus affectibus, id quod mire congruit cum doctrina Christi. Quinta pars est: Statim à morte Socratis uersus est in accusatores populifuror. Socrati desiderato aurea posita statua. Locus erit uulgus temerè odisse & amare. Rursum alius: Virtutem presentem odimus, sublatam ex oculis quærimus inuidi. Rursum alius: Fucatam gloriam unà cum uita perire, uirtutis splendorem à morte maxime clarescere.

clarescere. Hinc arbitror liquere, in  
 quot usus idem exemplum possit accō-  
 modari. Similiter & in parabola fiet, ue- *Parabola*  
 lut in nauigatione, quot similia duci po- *la.*  
 terunt. Vt optimum gubernatorē tem-  
 pestas, ita optimum Imperatorē aduer-  
 sa res declarant. Item, Vt nemo clauum  
 cōmittit amicissimo, sed nauigandi peri-  
 tissimo: ita nemo reipub. gubernacula  
 mādabit ei, cui studeat maxime, sed quē  
 maxime iudicari idoneum. Rursum:  
 Quemadmodum uentis nimium secun-  
 dis nauitæ uela contrahunt, cum parum  
 prosperi sunt, tum latius pandunt sinus,  
 ita cum res uehementer succedunt, tem-  
 perandus est animus ne insolescat, Con-  
 trā cum inimica est fortuna, tum forti-  
 tudine ac spe secutoræ felicitatis, dilatan-  
 dus ac fulciendus. Item quoties rectum  
 cursum per tempestatem tenere non li-  
 cet, tum obliquis flexibus eō nihilo seci-  
 us, quo peruenire uelimus, contendere  
 oportebit. Item quoties artem uincit tē-  
 pestatis impotentia, tum ancoram iaci-  
 unt nauitæ, uelis collectis: Ita uesanti

Q multitu

multitudini nonnunquam cedendum est, donec oratione tractabilis esse incipiat. Item quæ admodum nauta non semper eodem modo tenet uelum, uerum nunc tollit in altum, nunc contrahit, nunc in hoc latus, nunc in illud transfert, ut cunq; uentorum ratio postulat, Ita Sapiens non in omni loco, omniq; tempore & negotio simili uitæ tenore debet uti, sed uultum, orationem, mores præsentibus rebus accommodare. Item sicut in magnis tēpestatibus peritissimi nauæ, uel ab imperito nonnunquã admoneri sese patiuntur, quod alijs alia soleant in his casibus in mētem uenire, Ita bonus rex in magnis reipub. periculis nullius cōsiliū audire grauabitur. Item ut in nimo periculo nauigatur, eo gubernatore qui maximis sit iactatus periculis: ita tutissimus est ciuitatis status, eo principe, qui grauissimis casibus sit exercitatus. Item ut qui clauum regit non satis arbitratur se suo fungi officio, nisi circumactis oculis, quid cuiq; faciendū admonuerit, ita principē non agit, nisi qui

magistra



magistratum etiam inferiorum officia moderatur ac præstat. Item quemadmodum insanat nauta, si propter odium aliquorum quos nauis uehit, nauim perire sinat, qua perdita, nec ipse possit esse incolumis: ita sanæ mentis non sit, qui ob factiones, patriæ incolumitatem non tueatur, quæ nisi sit incolumis, nec ipse incolumis esse possit. Item, ut non nisi grauissimis tempestatibus sacram ancoram nauis iacere solent: ita non est, nisi in grauissimis periculis ac rebus propè desperatis, ad extrema remedia ueniendum. Sed ne ego ineptus qui ista persequar, cum iam uideas aliquot similitudinum millia hinc sumi posse. Nonnunquam eadem quoque collationis pars ad diuersa trahitur, quod genus sit, si Lunæ crebras mutationes, uel ad fortunæ uices ac commodes, uel ad humanæ uitæ instabilitatem, uel ad stultorum incōstantiam, quin eadem quoque sententiā uarios in usus deflectitur, ut, Facundus comes in uia pro uehiculo est. Iucundior est uita, si non solus agas, sed cū lepidis, ac festi-

Q 2 uis amicis

uis amicis consuetudinem habeas, Rursum: Semper bonus aliquis liber circumferendus, cuius lectione tedium discutias. Item, si te lætus animus comitetur, & bene sibi conscius, nulla pars uitæ sentiet tedium. Hic optimus est uitæ comes, si læta narret: sin turpium factorum memoria refricet, tædio enecat. Eadem est prouerbiorū & apophthegmatū ratio. Quorum usum ostēdimus in principio collectaneorū prouerbialium. Proinde quædam erunt eadem diuersis ascribenda locis, aut annotanda certe. Nā sat erit aliquādo tribus significasse uerbis ascriptis autorū locis, unde peti possint, præsertim quæ paucis exponi non queant. Sed iam quo res exēplo magis fiat perspicua, sit titulus Inconstantia, aut mortis exempli. *Incōstantiæ exem- plauaria.* rum inæqualitas, experiamur; quot res ad hunc cōferri possint. Primum è Poëtarum fabulis petam Mercurium uarias formas sumere solitū, ut est uaser deus, nunc apud superos, nunc apud inferos, nunc apud mortales agentem, uarijs etiam fungentē officijs, nunc Ganymedis agentem

agentem parteis, nunc nuncia perferentem, nunc animas deducentem ad Charontem, nunc negociatoribus ac patronis operam dantem, nunc cithara utentem, nunc uirga, galero etiam bicolore, postremo uarijs gaudentem cognominibus. Ea sunt apud Aristophanem in Pluto. Dicitur enim *εφορᾶϊος, ἐμπολαῖος, δόλιος, ἡγεμόνιος, ἐνα γώνιος*. Apud Homerum & apud Hesiodum *Διάκτορος, ἀργεφόντης*. Dicitur & Cyllenius & *ἐριούνιος*. Petam Vertumnū deum, cui inde etiam nomen, quod uertat formā. Petam Proteum, omnia uertentem sese in miracula rerum. Petam Empusam ex Aristophanis ranis, id est, dæmonis genus, identidem alia atq; alia specie sese offerentis. Item Morphea quoscunq; uelit uultus induere solitum. Item Circen ueneficijs ac magica uirga homines in uarias ferarum formas uertentem. Nam improbi secum non constant, sed aduersis agitantur affectibus. Petam *καιρόν* uolubilem deum, nunquam sui similem: & huic similem, si uidetur Rhamnusiā. Petam

Q 3 Iouem

Iouem, nunc Aquilam, nunc Cygnū,  
 nunc taurum, nunc aureum hymbrem  
 factum. Præterea Chimæram capite leo-  
 nis, uentre uirgineo, cauda draconis. Ac  
 uarium illud portentū, quod fingit Ho-  
 ratiū in ipsa statim fronte artis poëtice.  
 Adducam & Ianum bifrontem, & tri-  
 formem, Geryonem, & Bacchum, cui  
 poëtæ attribuunt *ἐπιθυμῶν*, hoc est, morū  
 leuitatem & facilitatem, ac talem in Ra-  
 nis fingit Aristophanes. Et si qua sunt  
 alia apud illos, quæ prodigiosæ uarieta-  
 tis imaginem habent. Adducā & Vlyssē,  
 quamlibet pro tempore personam  
 gerentem, unde & *πρωτοπαιδῶν* statim in  
 operis initio uocat Homerus. Deinde à  
 Physicis petam Lunæ similitudinē nun-  
 quam eodē uultu nobis redeuntis, nūc  
 semiplenæ, nunc plenæ, nunc emorien-  
 tis, nunc renascētis, nunc pallentis, nūc  
 rubentis, nunc albicantis, nunc antece-  
 dentis Solem, nunc à tergo sequentis.  
 Petam similitudinem cœli uerni, aut au-  
 tumnalis, nunc nubi, nunc sereni, nunc  
 tranquillī, nunc uentis commoti. Petam  
 collationem

collationem maris assidue vicibus aestu  
 arijs decurrentis, ac recurrentis, prae-  
 pue Euripi mira celeritate septies die, ac  
 nocte, reciprocat. Addam Polypum,  
 cuius mutabilitas etiam prouerbio lo-  
 cum fecit. Addam Chamzeontem co-  
 lorem subinde mutantem. Item Panthe-  
 rem ac Pardum uersicoloribus maculis  
 variegatū, aut si quod est aliud animal  
 huiusmodi. Adiungam pueritiae in ho-  
 ras mutatum ingenium. Adijciam mu-  
 lieris peculiarem inconstantiam. Vulgus  
 leui momento mobile. Praeterea argenti  
 uiui miram mobilitatem. Arundinē ad  
 omnem auram facile mobilem. Folio-  
 rum arentium, plumae, ramentaeque leuita-  
 tem, ceruae fluxibilem, ac mobilem natu-  
 ram, Somniorum inconstantiam, rotae  
 uolubilitatē. Adducam laminam, quae  
 summis turrium, aut templorum fasti-  
 gijs solet imponi, quo uentum circum-  
 actu suo indicet. Adducam bilibrem fa-  
 cili momento huc atque huc uergentem.  
 Adducam opus uermiculatum uersico-  
 loribus tessellis, miram uarietatē osten-

tans. Quædã etiam ingenio finguntur. Veluti si quis cõparet inconstantis hominis animum, nunc hoc nunc illud cogitãtis, speculo rotũdo in foro frequentissimo suspenso, quod huc & illuc discurrente turba, figuris innumeris uarietur. Aut uĩtro, quod quemcunq; colorẽ subieceris, eum imitari uidetur. Aut pensili chalybi, quod hinc atq; hinc ad motis magnetibus, quorũ alter alliciat ad sese, alter depellat leuĩ momẽto, nũc huc nunc illuc rapiatur, nec unquã conquietat, aut sphæra in plano uolubili. Iam ex Historiis mutuo sumam Græcorum genuinam leuitatem, quã describit Iuuenalis. Lubricam Allobrogum fidem, Pœnos simili morum inconstantia. Scythas in dies mutatis pascuis, nullam certam colentes sedem. Virgã Moysi subinde in aliam atq; aliam uersam speciem. Aristippũ quamuis agentem personam, ut quem omnis (ut inquit Flaccus) decuit color, nunc Cynico utẽtem pallio, nunc regia purpura. Itẽ *ἡμίλευκος* illum de quo meminit Lucianus. Catilinam

linam uario ingenio, ex Salustio, Hannibalē ex Tito Liuiō, ex Valerio Maximo, quibus alius fuit uitę tenor in adolescentia, atq; senectute. Rursum ex tertia Horatij, satyra Tigelliū. Nil æquale homini fuit illi, sæpe uelut qui currebat, fugiens hostē, persæpe uelut qui Iunonis sacra ferret. E comedijs exemplū sumet muliebris incōstantiæ. Sostrata in Adelphis: An mi homo, sanus ne es? an hoc proferendū tibi uidetur esse uspiam? Ac paulō post. Ah minime gentiū non faciam, proferā. Amantiū incōstantiā exprimi Phædrā è rure repēte rediens. Pueri lē incōstantiā Antipho ex Phormiōe. Sed hoc persequi perlongū est. E tragœdijs mutuabor Phædrā uariatis secū sententijs, nunc uolēte, nūc nolente. Medeam item ante filiorū eadem, diuersis agitata affectibus. Ab Ouidio Bibliidem, Narcissum, A Marone Didonem, iam Aenea parante discessum, atq; hoc genus innumerabiles psonas passim exhibent poëtæ. Ex apologis allegabo rusticum illū, qui Satyro admirante, eodē ex

Q 5 ore modo

ore modo calidū, modo frigidum efflabat. Et si qui sunt alij, nā in præsentia rationē dūtaxat ostendimus. E puerbjijs mutuabor τὴν παναγαίαν ἀξίμην. Item ἀνέμου πειδίον. Et ἑμὴ βαβολίον τέρος κοθόρον. Et ὕδρου ποικιλότερος. Et λιθυκόν θηρόν, aliaq; cōsimilia. Nā ipsi in prouerbjijs locos adiunximus, unde ista peti possint. Et saxū quod subinde uoluit, nō obdicit musco. Et arbor quæ subinde transplantat, non grādescit. Rursum ex apophthegmatis adducā illud dictū in Ciceronē: Duabus sedere sellis. Et in eundē à Salustio scriptū: Aliud stās aliud sedēs loquit. Ex Homero ἀλοπρόσαλλον. Sic enim uocat Martem incertarū partium, quicq; nūc cū his sentit, nūc illis. Ex Ouidio ni fallor: Et tātum cōstas in leuitate sua. Ex Horatio, leuior cortice. Et, mutat quadrata rotūdis. Et Romæ Tybur amo uentosus Tybure Romā. Ex Plauto, Tīpula leuior. E Terentijs Phormione. Volo, nolo, nolo, uolo, quod dictū est, non dictū est. Ex Euripide τὰ λείγισα γὰρ φραγίς τὰ μὲν νῦν, τὰ δὲ πάλαι, τὰ δὲ οὐ τίκου.



*τίνα.* Iam apparet, opinor, quāta huius  
 quoq; generis suppellex ex tot scriptori-  
 bus colligi possit. Eadē est sententiarū  
 ratio, quas nō tantū ab autoribus sume-  
 re, uerū etiam pro re nouas parere licet,  
 Quibus omnibus si totidē opponas cō-  
 traria, deinde subiunxeris utrinq; finiti-  
 ma, nimirū quā immensus orationis pe-  
 nus futurus sit, uides. At cum tā uariis  
 sit usus, id quod diligentius ostendimus  
 in opere de ratione conscribendarū epi-  
 stolarū, nihil erit qd' non aliquo pacto  
 possis ad locupletandā orationem accō-  
 modare, quandoquidē contraria quoq;  
 adhibent, uel per ironiā, uel per dissimil-  
 le, uel per cōparationem. Per Ironiā, ut  
 si quis hominē nuncq; sui similē Socratē  
 appellet, qui in omni uita sempe eodē ui-  
 sus est uultu. Per dissimile, ut si dicas: C.  
 Iuliū Cæsarē nullius unq; facti poenitu-  
 it. Hic nihil unq; decreuit, quod nō mox  
 resciderit. Per Comparisonem, si dicas,  
 quòd Cato ille, quem Cicero præfractū  
 uocat, à sentētia non potuit abduci, tam  
 hic non potest in eadem retineri senten-  
 tia.

tia. Porro, finitima quæ sunt, facili deflu  
 xu ad uicina trahunt. Quod genus Per  
 sianum illud: Tecum habita: Nam & si  
 proprie quadrat in eum qui maiora mo  
 lit, quã pro sorte sua, tamen quia non esse  
 sua sorte contentũ, cum inconstantia co  
 gnationem habet, huc torqueri poterit,  
 præsertim cum Seneca scribat: Primum  
 argumentũ cõpositæ mentis existimo,  
 posse cõsistere, & secum morari. Quin  
 eadem simul & in laudem torqueri pos  
 sunt, ut si omniũ horarũ hominem, uer  
 satiliq; ac dextro ingenio laudes. Ex in  
 constantiæ penario sumes Polypum, ad  
 speciem subiecti soli mutãtem colorem  
 Sumes Euripum, ac negabis mare hoc  
 esse tam uersatile, quã huius sit ingeni  
 um, Sumes flammam, stare nesciam. Su  
 mes cœlum subinde alia facie. Sumes a  
 rundinẽ utcunq; flauerint auræ, flecten  
 tem sese, Dices sapientis esse, pro re na  
 ta, pro tempore, pro loco mutare senten  
 tiã, ac uitę rationẽ. Stupida saxa, ac bru  
 ta tellurem unã non moueri. Cæterũ ex  
 animantibus, ut quodc; præstantissimũ  
 est, ita

est, ita maxime mobile esse. In uniuersa natura, quo quicq; præclarius est, hoc à quiete longius abesse. Infima est, quæ non mouetur terra, at mobilis aqua, mobilior aër, ignis hoc quoq; mobilior, cœlū quā maxime mobile. Proinde mentē hominis auram atq; ignem ab antiquis uocari. Cōtrā, stultos, tardos, stupidos, lapides, plumbum in quas res maxime cadit cōstantiæ uocabulū. Per huiusmodi locos pleraq; è cōstantiæ suppellectile ad uituperandū traxeris, & ex inconstantiæ ad laudem detorseris. Verum de his ut modo dictum est, aliās tempestiuus.

PHILIPPI MELANCHTHONIS  
*de Locis communibus ratio.*



PHILOSOPHI, digesserunt res humanas omnes ceu in formas quasdam uiuēdi, ut alia sunt naturæ, ut uita, mors, forma. Alia fortune, ut opes, nataliū splendor, honores, Alia sunt in nostra potestate, ut uicia, ac uirtutes. Sic & in singulis studiorum generibus

ribus, sunt quædã capita, in quæ referrī  
solent, quæ tractant̄ illic, ut in Theolo-  
gia, fides, ceremonia, peccatū. In iure,  
æquitas, seruitus, pœna, maleficiū, lu-  
dex, advocatus, & his similia. Qui uolet  
igitur de rebus humanis recte iudicare,  
illum oportet, quicquid inciderit forte  
fortuna, ad has ceu formas rerum exige-  
re. Pariter, cui cordi est recte de studiis  
iudicare, illum oportet tales locos in nu-  
merato habere. Nã præter id quod sunt  
formæ rerum & regulæ, mire etiam me-  
moriã adiuuant. Voco igitur locos cõ-  
munes omnes omnium rerum agenda-  
rum, uirtutum, uiciorū, aliorumq; com-  
munium thematum cõmunes formas,  
quæ ferè in usum, uariasq; rerum huma-  
narum, ac literarum causas, incidere pos-  
sunt: possuntq; comprehendi locis argu-  
mentorū generis. Deliberatiui, ut, for-  
tunam, opes, honores, uitam, mortem,  
prudentiam, iusticiam, liberalitatē, tem-  
perantiam. Et his contraria, paupertatē,  
ignominiam, exilium, temeritatē, in-  
iusticiam, sordes, intemperantiam seu lu-  
xum

rum. De usu locorum cōmunium opti-  
 me scripserunt, Rodolphus Agricola, Rod. Agr.  
 in epistola de ratione studij, & Erasmus agricola.  
 in Copia, in hanc ferè sententiam. Qui Des. Ro-  
 destinauit per omne genus autorum le- terod.  
 ctione grassari, prius sibi quā plurimos  
 pareat locos. Eos sumat partim à generi-  
 bus ac partibus uiciorū uirtutumq; par-  
 tim ab alijs, quæ, ut ante dixi, sunt in re-  
 bus mortalium præcipua, ut natura, for-  
 tuna, fatum; digeratq; iuxta rationē, affi-  
 nitatis & repugnantiz. Nam & quæ in-  
 ter se cognata sunt, ultro admonent qd  
 consequat̃. Et contrariorum est eadem  
 memoria. Puta sit exēpli causa primus  
 locus, Pietas & impietas. Huic subijci-  
 entur species inter se cognatę. Prima est Pietas,  
 Pietas in Deum, secunda in patriam, ter- Impietas.  
 tia in parentes, aut in liberos, aut etiam  
 in eos, quos oportet parentum loco co-  
 lere, ueluti præceptores, & quorum be-  
 neficio seruari sumus. Accedit ad hæc su-  
 perstitio, adijcienda est igitur. Atq; hic  
 aperit se latissimus campus de prodigio  
 us deorū cultibus, ac de diuersarum  
 gentium

Beneficētia  
tit. 4.

gētium diuersis ceremonijs. Est ad hanc  
 accersenda etiam fides in amicos, in ho-  
 stes: totidemq; de perfidia. Item sit titu-  
 lus Beneficētia. Huic cum suas species  
 subieceris, restat gratitudo, non illa qui  
 dē huic subiecta, neq; rursus cōtraria,  
 sed adhērens, & que ea ueluti cōsequens.  
 Virtutū ac uitiorum ordinem si quisq;  
 suo fingat arbitrio, aut ex Philosophis  
 petat, utile cōsiliū est qd' supra dedi,  
 exercendos in locis cōmunibus genere  
 diductico, iuuenes, ut singulorum natu-  
 rā uimq; proprie pspicerent. Plurimum  
 ex eo studio iudicij cōparari, si quando  
 in sublimibus agēdum sit, ut in Theolo-  
 gis, qd' affectus, qd' uirtus, qd' uitium. In  
 Iure Ciuili, qd' iusticia, qd' <sup>αρεβωδιναιος</sup>  
 quid <sup>επιεικεις</sup>. In singulos autē locos per-  
 tinent, Fruitiones, descriptiones, senten-  
 tiæ, & exempla, fabulosa, seu historica.  
 Vt si iusticia titulus sit, erit eius finitio:  
 Iusticia est, qua cuiq; qd' suum est reddi-  
 tur. Descriptio, qualis est apud Gellium  
 ex Chrysippo, aut apud Hesiōdū, Vir-  
 ginem esse, apparere ad Iouis tribunal.  
 Subijcienda

Subijcienda interim & ratio fabuloso-  
rum, seu mythologia, non illa quidem  
imperite aut temere conficta, sed ex illu-  
stri aliquo autore petita, ut si Iusticię He-  
siodiani, descriptionē ex Platone de le-  
gibus, enarres. Iusticię est comes Neme-  
sis, temeritatis & arrogantię mortalium  
uindex, eius item descriptio addēda. Ge-  
rit enim frena & amussim. Notandū ad-  
hęc, si quid uspiam de iusticia insigni di-  
xerūt Poētę, sucubi epitheto illustri no-  
tauerūt, ut quomodo eam dixit Orphe-  
us ἀρεαυσερ τὸ συνειδός. Iam sententię di-  
ligenter coaceruāda sunt, nonnunq̄ ad  
describendum quomodo usus sit autor  
sententię qua petīt. Neq̄ enim p̄cliuē  
est cuius, sententijs, prouerbijs sic u-  
surpare, ut suam referāt faciē. Qualis est  
illa Theognidis Poētę Iusticia in sese  
uirtutē cōplectitur omnē, qua sic uti li-  
ceat ut est usus in moralibus Aristotel.  
exempla, ut est Camilli de Faliscorum  
p̄ditore, Brutī de Aglījs, Mālīj de filio,  
qd' cōtra imperiū pugnasset. His qui in-  
struxerit sese habebit quod suppeditet

R ad copiam

ad copiã semp̄ in prõptu, si quaecunq̄  
 incidit argumentũ, in aliquẽ locorum  
 cõmunium plures uel referat, ut Cicero  
 restitutionem Marcelli, in clementiã in  
 qua prædicãda, dici non potest quã ele-  
 ganter uerset. Causam Archiæ fecit lau-  
 dem humanitatis. Hæc de locis cõmuni-  
 bus satis. Neq̄ uero putes eos temere  
 cõfingi, ex intimis naturæ sedibus eruti  
 formæ sunt, seu regulæ omnium rerum.

Sequitur nunc locorũ quorundam  
 index, semper à studioso locupletãdus.  
 Quem olim M. Petrus Fladrinus, ex  
 Brisgauria Vualkilch oriundus, ædium  
 Sapientiæ Friburgi alumnus, linguis tri-  
 bus præcipue insignis, & præceptor nõ  
 tam doctissimus, quam etiam fidelissi-  
 mus, discipulis suis conscripsit. Qui pre-  
 matura morte, magnum ætatis suæ & te-  
 nerum ipse ingenium, maximo discipu-  
 lorum mœrore, ut maiori literarum ia-  
 ctura, uelut in herba enectus in Alsatiæ  
 Rubeaco obiit. Anno M. D. XXVI.  
 xv. Calendarum Nouembrium.

Deus



1 Deus	Humanae	16 Temperantia
Summum bonum	9 Bonum	Abstinentia, seu sibi honestas
Felicitas	Vtile	Sobrietas, seu potus honestas
2 Fatum	Delectabile	Pudicitia
Providentia	Honestum	Castitas
Fortuna	10 Virtus	Virginitas
3 Natura	Officium	Verecundia
Ingenium	Mediocritas	Pudor
Indoles	Decorum	17 Intemperantia
4 Homo	11 Vicium	Voracitas
Vita	Abundantia.	Ebrietas
Valetudo	Defectus	Violentia
} Bona	12 Affectus	Veneris provocatio
	Ira	Prociacitas
Mors	Amor	Libido
5 Aetas	Odiu	Scortatio
Pueritia	Voluptas	Inverecundia
Adulescentia	Spes	18 Liberalitas dādo & accipiedo
Iuuentus	Metus	Divitiæ
Senectus	Misericordia	Pecunia
6 Mens	Dolor	Aurum
} Idem	13 Fortitudo	Argentum
	Constantia	19 Pauperies
Animus	Perseuerantia	Inopia
Voluntas	Periculum	Penuria rerum
Appetitus	Bellum	20 Prodigalitas
7 Philosophia, id est sapientia rerū.	Pax	21 Illiberalitas dādo
Sapientia	14 Audacia	Tenacitas
Cyclopadia	Temeritas	Avaritia
Eloquentia	Insanies	22 Accipiendo
Doctrina	Fiducia	
Eruditio	15 Inconstantia	
Institutio	Tumiditas	
8 Disiplina	Mctus	
Diuina		

Lenocinium	Reconciliatio	Oportunitas
Vsura	30 Iracundia	Facetiæ
Alea	Vindicta	Sales
Ars parasitice	Iniuria	Ludi honesti
23 Magnificētia	Crudelitas	locus
Magnifici sūptus	Feritas	Recreatio
24 Luxus	Sæuitia	Relaxatio animi
Ruditas	31 Affabilitas	37 Rusticitas
Sordities	Humani cōgressus	Agrestis
25 Magnanimitas	Humanitas	Durus
Honor	Taciturnitas	Importunus
Gloria	Sales	Molestus
Nobilitas	Compositi mores	38 Obscenitas
Natales	32 Difficultas	Turpitude
Novitas	Contentio	Scornata
Industria	Rixæ	Scurritas
Labor	Inhumanitas	Histrionica
Laus	33 Adulatio	Scurra
26 Superbia	Affentatio	Cacebinno
Lentitudo	Garrulus	39 Cōmune bonum
27 Pusillanimitas	Detractio	Res publica
Pigrities	Scornata dentata	Regnum
Ignauia	Inlegantes mores	Principatus
Ignominia	34 Veritas	Optimorū potestas
Vecordia	Fama	Optimates
Ocium	Lucrum	Magistratus
Obscuritas	35 Mendacium	Censu potestas, id
28 Modestia	Arrogantia	est, Timocratia
Ambitio	Disimulatio	40 Tyrannis
29 Mansuetudo	Malitia	Paucorū potestas
Clementia	36 Comitas	Democratia
Pœna	Vrbanitas	Labes rei publicæ
Indulgentia	Dexteritas	41 Iusticia
Lucentia	Festiuitas	Lex, Ius, Mos.

Aequitas	Iniuria	Familiaritas
Aequitas cōmuta- tua	Cades	47 Inimicitia
Aequitas distribu- tua	Mēbrorum ruptio	Multitudo
Iustum civile	Convictum	Ingratitudo
Iustum herile	Contumelia	Invidia
Iustum paternum	Adulterium si. p. p.	Indignitas
Iustum economicū	genus est	Iniquitas
Magistratus	Rapina	Discordia
Plebs	Latrocinium	Rixae
Obedientia	Servorū seductio	Querelae
42 Contractus	Falsum testimoni- um	Iurgia
Mercatus	44 Fides	48 Prudentia
Venditio	Charitas	Consilium
Emptio	Pietas	Sagacitas
Mutatio	Religio	solicitudo
Vadimonium	45 Superstitio	Sententia
Locatio	Perfidia	49 Imprudentia
Depositio	Perurium	Stoliditas
Mercede cōductio	46 Amittia	Consiliorum im- pia
43 Iniusticia	Benevolentia	Oblivio
Iniquae leges	Concordia	
Iniquitas	Aequalitas	
Inustum civile	Retaliatio	
Inobedientia	Beneficentia	
Seditio	Gratitudo	
Clades	Fortuna parva	
Furtum	patio	
Violentia	Consuetudo	
	Comitium	

FINIS LO-  
CORVM  
COMMVNI-  
VM.

In hæc Capita subsignandæ, digerem  
deq̄ sunt, singulorū locorum, Finitioēs,  
descriptions, ethymologia, sententiæ,  
scite dicta, exempla, epitheta, compara-  
tiones, metaphora, allegoria. Illi enim  
& similes loci, thesaurus eruditionis &  
eloquentiæ perhibentur.

**IN LIVIDVM OBTRACTA**

*Stationem pro Indicis huius  
patrocinio.*

*Ne male damnaris quod nec prestare ualebas,  
Carpseris ergo hæc quis tu meliora dato.*

**BASILEAE PER HENRICVM  
PETRVM, MENSE AV-  
GVSTO, ANNO  
M. D. XXXVII.**



